

# Chronica civitatis Ianuensis

[Page 3]

INCIPIT cronica de civitate Ianua.  
Evangelica eruditione instruimur ne talentum intelligentie  
nobis a Deo creditum sub torpore vel otio abscondamus,  
sed ad mensam sacre Scripture illud ponentes, lucrum  
multiplicati fenoris Domino reportemus. siquidem Dominus talenta  
sua multiplicantes remunerat, servum vero ab opere  
torpentem dampnat. quamvis igitur, Domino volente  
vel saltem ipso permittente, de secreto claustris reducti simus  
ad publicum palatij, non debemus tamen publicis actibus semper  
intendere, nec nos causis forensibus iugiter inmiscere;  
nec enim convenit rebus semper incombere perituri, sed  
illa potius agere in terris quorum fructus perseveret in celis, dicente

[Page 4]

Domino: "Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in  
vitam eternam". expedit igitur interdum ad quietem mentis  
recurrere et quam dulcis sit Dominus oculo mentis videre.  
nonnunquam etiam utile est aliqua scripto mandare, que ad  
instructionem legentium et ad hedificationem perveniant auditorum.  
cogitantes igitur et sedula meditatione volventes  
quod multe civitates in Ytalia sunt de quibus antiqui ystoriographi  
magnam faciunt mentionem, mirati sumus quod de civitate  
Ianuensi tam inclita, tam nobili, tam potenti, satis modica  
ab ipsis inveniuntur expressa. causam huius esse credimus,  
quia civitas Ianuensis, licet sit modo potens et maxima, ab antiquo  
fuit satis parva et modica. ystoriographi autem, qui ab antiquo

[Page 5]

scripserunt, non curarunt de castris vel parvis terris magnam  
[facere] mentionem, sed tan tum civitates magnas et famosas  
describere sunt conati. nos igitur ystorias communis  
ianue legentes, et diversas cronicas revolventes nec non et aliquorum  
auctorum dicta scrutantes, de civitate Ianue invenimus  
aliqua, que presenti stillo iudicavimus adnotanda.  
in quibus quidem civitatis Ianue auctor et tempus exprimitur,  
ratio nominis exponitur et multa utilia explicantur. et  
quoniam mentionem fecimus de regimine quo regitur et gubernatur  
Ianua, ideo de regimine et rectoribus quedam posuimus generalia  
documenta, ubi etiam quedam generalis exortatio ponitur,  
per quam cives utiliter instruuntur. in fine autem huius operis

[Page 6]

nomina et tempora episcoporum et archiepiscoporum posuimus, qui in  
civitate Ianue usque ad nostra tempora prefuerunt. et ut quilibet  
quod voluerit facilius invenire possit, presentem cronicam in partes  
.XII. et capitula plura duximus distinguendam. capitula  
prime partis.

Prima pars continet a quo civitas Ianue fuit hedifcata  
et constructa, et ista pars habet .IIIlor. capitula. in primo  
capitulo ostenditur qui fuerunt primi fundatores et hedificatores  
civitatum. in secundo capitulo dicitur quod Ianus, primus  
rex Ytalie, Ianuam construxit et hedificavit. in tertio capitulo  
dicitur quod Ianus, civis Troie, ipsam iam hedificatam ampliavit  
et melioravit. in .IIIlo. capitulo dicitur quod Ianus, qui erat  
deus et simulacrum Romanorum, olim in Ianua colebatur.  
capitula secunde partis.

Secunda pars continet tempus et antiquitatem constructionis  
Ianue, et ista pars habet tria capitula. in primo capitulo ponitur  
tempus in quo fuit constructa. in secundo ponitur tempus in  
quo fuit ampliata. in tertio ponitur quod fuit a Carthaginensibus  
sive Africanis delecta, sed a Romanis rehedificata,

[Page 7]

et quo tempore fuit hoc. [capitula tertie partis]. tertia  
pars continet quare tali nomine fuit insignita. et ista  
pars habet .IIIlor. capitula. in primo capitulo ponitur opinio  
illorum, qui dicunt quod vocata est Ianua tam a Iano rege Ytalie,

qui ipsum edificavit, quam a Iano cive Troie, qui ipsum ampliavit. in secundo capitulo ponitur opinio illorum, qui dicunt quod vocata est Ianua a Iano, simulacro Romanorum, quod antiquitus in Ianua colebatur. in tertio capitulo ponitur opinio illorum, qui dicunt quod vocata [est] Ianua, ex eo quod est porta et introitus in Lombardiam. in quarto capitulo ponitur ratio quare fere in omnibus libris antiquis Genua vocatur. [capitula quarte partis]. quarta pars continet quo tempore civitas Ianue ad fidem Christi fuit conversa. et ista pars habet tria capitula. in primo capitulo ostenditur quod totus mundus ydolatrie serviebat. in secundo capitulo ostenditur quod Ianua fuit prima vel una de prioribus civitatibus Ytalie, que ad fidem Christi fuit conversa. in tertio capitulo ostenditur illud idem per rationem. capitula quinte partis. Quinta pars continet statum triplicem, quem secundum varieatem temporis habuit civitas Ianue. et ista pars habet tria capitula. in primo capitulo agitur qualis et quanta fuit in statu sue inchoationis. in secundo qualis et quanta fuit in statu sue progressionis. in tertio quanta et qualis fuit et est in statu sue perfectionis. capitula sexte partis.[Page 8]

Sexta pars continet et tractat de seculari regimine civitatis Ianue. et ista pars habet tria capitula. in primo capitulo dicitur quod civitas Ianuensis fuit diverso regimine gubernata. in secundo dicitur quod tutius est regi ab uno quam a multis, nisi ipsi multi sint in bono uniti. in tertio ponitur periculum quod provenit ex regimine malo, et utilitas que provenit ex regimine bono. capitula septime partis. Septima pars continet quales debent esse rectores civitatum. et hec pars habet .III. or capitula. in primo capitulo ponitur quod ipsi rectores debent esse potentes et magnanimes, ut sine timore iudicent. in secundo quod debent esse Deum timentes. in tertio quod debent habere omnem veritatem. in .III. o. capitula .VIII. partis. Octava pars continet quales debent esse ipsi cives et habitatores civitatum. et ista pars habet tria capitula. in primo capitulo ostenditur quod ipsi cives debent esse in consulendo discreti et maturi. in secundo quod non debent esse vitiis subiecti, sed in virtutibus exercitati. in tertio quod debent rei publice esse celatores maximi. capitula .VIII. partis. [Nona pars continet de re familiari et domestica. et ista[Page 9]

pars habet sex capitula. in primo capitulo ponitur qualis uxor sit ducenda et qualiter cognosci poterit que sit bona vel non. in secundo qualiter sit custodienda. in tercio qualiter ambo se mutuo debent diligere. in quarto quod debent pacifice habitare. in quinto qualiter parentes debent se habere ad filios et filii ad parentes. in sexto qualiter domini debent se habere ad famulos sive servos et servi ad dominos. capitula decime partis]. Decima pars continet et tractat de spirituali regimine Ianue civitatis. et ista pars habet duo capitula. in primo capitulo ostenditur quando fuit episcopali honore decorata. in secundo capitulo ostenditur quando fuit archiepiscopali dignitate sublimata. capitula .X. partis. Undecima pars continet tempora, nomina et ordines omnium episcoporum, qui in civitate Ianue fuisse leguntur. et ista pars tot habet capitula, quot ibi ponuntur episcoporum nomina. capitula .XI. partis. Duodecima pars continet tempora, nomina et ordines omnium archiepiscoporum, qui in civitate Ianue usque ad nostra tempora prefuerunt. et ista pars tot habet capitula quot ibi nomina archiepiscoporum ponuntur.[Page 10]

Istis premissis et prelibatis, tota istius cronice continentia patens est et manifesta. dicitur autem cronica a *cronicon* grece, quod latine dicitur *tempus*. unde cronica vocatur liber in quo acta diversorum temporum continentur. capitula prime partis. Prima igitur pars, ut dictum est supra, continet a quo civitas Ianue fuit edificata et constructa. et ista pars continet .II. or. capitula. in primo capitulo ostenditur qui fuerunt primi fundatores et edificatores civitatum. in secundo capitulo dicitur quod Ianus, primus rex Ytalie, Ianuam construxit et edificavit. in tertio capitulo dicitur quod Ianus, civis Troie, iam edificatam ampliavit et melioravit. in .II. o. capitulo dicitur quod Ianus, qui erat deus Romanorum, olim Ianue

colebatur. incipit cronica de civitate Ianue, quam compilavit  
venerabilis pater dominus frater Iacobus de ordine Predicorum Ianuensis  
archiepiscopus. qui fuerunt primi fundatores civitatum.

[capitulum primum].

DEUS, qui de nichilo cuncta creavit, cotidie novas civitates  
construit ministerio hominum, et constructas custodit  
ministerio spiritum supernorum. nam personas singulares custodit  
ministerio angelorum. civitates et loca singula custodit ministerio  
archangelorum. regna et provincias custodit ministerio principatum,[Page 11]

iuxta verbum prophete dicentis: "Nisi Dominus  
custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. nisi  
Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt qui edificant  
eam". habet igitur civitas quelibet duplarem constructorem:  
unum principalem, scilicet ipsum Deum; alium secundarium  
scilicet aliquem hominem terrenum. primus autem  
homo, qui ante diluvium civitatem construxit, fuit Caym  
filius Ade, qui civitatem quandam edificavit, quam a nomine  
filii sui Enoch appellavit, sicut in Genesi habetur.  
ex quo manifeste patet quod iam multi erant homines super  
terram, quamvis eorum generatio non legatur. alias autem non  
potuisset Caym civitatem edificare, nisi multi fuissent qui eum  
adiuvissent et qui civitatem inhabitassent. iste enim Caym  
de rapinis hominum dvitias congregabat et filios suos rapere  
docebat. iste Caym ex invidia fratrem suum occidit, cuius mortem  
Adam, pater eius, per .C. annos flevisse legitur. et quoniam  
Caym omnibus erat odiosus, quia fratrem suum malitiose[Page 12]

occiderat, tum quia rapinas exercebat, et ideo, ut esset  
securus, civitatem construxit et muris ipsam vallavit. post  
diluvium autem primus, qui civitatem edificavit fuit Nemroth  
pronepos Noe, qui fuit gigas. .C. cubitos in longitudine habens,  
sicut dicitur in Ystoria Scolastica. iste post diluvium  
cepit primus velle hominibus dominari. iste docebat filios  
suos ne Deum colerent, sed ignem adorarent, dicens felicitatem  
hominum non provenire ex Deo, sed homo potest  
eam acquirere propria virtute. iste primo edificavit Babilonium  
et ibi cepit regnare. iste consuluit illis de genere suo ut turrem  
altissimam usque ad celum edificarent, ut sic ab omni diluvio  
securi essent. sed Deus, cum tunc esset una lingua, eorum linguas  
confudit et in .LXXXII. linguas divisit et ideo, cum se  
mutuo non inteligerent, hedificationem illius turris penitus  
dimiserunt. omnes enim homines prius loquebantur una  
lingua Ade, que fuit lingua hebraica, et istam linguam tenuit Habraam,  
Ysaac et Iacob et ceteri qui de sua stirpe geniti  
sunt, scilicet populus Iudeorum; et sicut fuit prima lingua, ita  
erit ultima, secundum enim dictum Apostoli: "Post Iudicium  
omnes lingue cessabunt". dicit tamen sanctus Ysidorus[Page 13]

quod post Iudicium cessabunt omnes lingue, sola hebrayca remanebit,  
ut sicut prima, ita remaneat ultima. unde etiam  
quidam dicunt quod ista lingua est homini naturalis, quia Adam  
in sua creatione eam accepit. et ideo dicunt quod si aliquis infans  
in aliquo loco nutririatur, ubi nullos loquentes audiret, ille,  
cum crevisset, lingua hebraica loqueretur. sed illud fabulosum  
est, quia talis puer nulla lingua loqueretur, ex eo quod loqui  
aliqua lingua non est a natura, sed ab humana arte.  
per processum autem temporis, hedificata Babilonia, plures[Page 14]

alii civitates construxerunt, sicut Ninus, qui construxit Ninivem,  
et plures allii post ipsum. plures tamen de ipsis ad Ytaliam  
navigando venerunt et ibi civitates quam plurimas construxerunt,  
de quorum numero fuit Ianus. sed notandum est quod  
tres fuisse Iani dicuntur. primus est Ianus, qui de partibus  
Orientis in Ytaliam venit et ibi primo regnavit. secundus  
est quidam princeps, qui fuit civis Troie, qui post destructionem  
Troie ad Ytaliam venit. tertius est rex Epyrotarum,  
qui Romam venit et post mortem suam Romani ipsum deificaverunt  
et tanquam deum coluerunt. de hiis tribus Ianis per  
ordinem breviter ystorias prosequamur. quod Ianus, primus  
rex Ytalie, Ianuam edificavit. [capitulum secundum].  
Primus igitur Ianus fuit quidam princeps, qui de partibus  
Orientis ad Ytaliam venit. siquidem in orientali plaga post diluvium,  
hominibus multiplicatis et civitatibus edificatis, multi  
de ipsis in Ytaliam venerunt, inter quos .III. principes advenisse

dicuntur. primus fuit Nemroth, secundus fuit Ianus,  
.III. fuit Saturnus. Nemroth quidem fuit pronepos Noe.[Page 15]

quia Noe genuit Cham, Cham genuit Chus, Chus genuit  
Nemroth, sicut dicitur in libro Genesis. iste autem Nemroth  
erat valde cupidus et avidus ad dominandum. et ideo  
dixit filiis suis ut in Ytaliam pergerent et ipsam in dominium  
possiderent. quapropter filij eius et plures alij cum ratibus et  
navibus in Ytaliam advenerunt, et sicut in quadam cronica legitur,  
quandam civitatem ibi edificaverunt, quam Ravenam vocaverunt.  
in ipso autem nomine civitatis tres sillabas posuerunt,  
quarum quelibet pro una dictione supponit. prima enim sillaba,  
scilicet "Ra", supponit "pro ratibus". secunda, scilicet  
"Ve", supponit "pro venerunt". ultima, scilicet "Na", supponit  
"pro navibus". tanquam si dicatur: Illi, qui hanc civitatem,  
que dicitur Ravenna, edificaverunt, cum ratibus et navibus  
venerunt. alias princeps, qui de Oriente in Ytaliam venit,[Page 16]

fuit Ianus, qui tempore Moysi venit in Ytaliam et ibi primus omnium  
regnavit, quamvis aliisque ystorie dicere videantur quod  
iste Ianus regnauerit tempore Habrae. tandem ad partes  
nostras accedens, Ianuensem civitatem construxit, quam de suo  
nomine Ianiculam appellavit. istud manifeste ostendit Solinus  
in libro De Mirabilibus Mundi, ubi sic dicit: "Quis  
ignorat vel dictam vel conditam a Iano Ianiculam, a Saturno Saturniam?".  
ecce quia Solinus non tantum hoc aserit,[Page 17]

sed etiam dicit quod nullus debet hoc ignorare quin Ianus  
Ianiculam construxerit et quin a suo nomine eam appellaverit.  
vocavit autem non Ianuam, sed Ianiculam in diminuto propter  
eius parvitatem, sicut enim Roma a principio sue constructionis,[Page 18]

quando adhuc erat parva, vocabatur Romula; postquam autem  
crevit, dicta est Roma. sic civitas nostra a principio sue edificationis  
fuit multum parva et vocabatur Ianicula; postquam autem  
crevit, dicta est Ianua. et [si] forte aliqui vellent dicere  
quod Solinus loquitur de quadam alia Ianicula, quam edificavit  
Ianus rex Ytalie, et non de nostra, istud stare non potest, quia in  
tota Ytalia nulla alia civitas sive terra reperitur, que Ianua vel Ianicula  
nominetur, et ideo oportet ut de nostra terra intelligatur.  
verum est tamen quod Rome fuit quoddam templum, quod  
vocabatur Ianiculum, quod Romani in honorem Iani, dei ipsum,  
edificaverunt, sicut dicit sanctus Ysidorus et sicut dicetur  
infra. si igitur aliqui vellent dicere quod istud Ianiculum  
sit illa Ianicula, de qua dicit Solinus, quam Ianus, rex Ytalie,  
edificavit, istud stare non potest. quia Ianus, rex Ytalie, per  
annos .DC. et amplius fuit antequam Roma edificaretur, sicut  
ex cronicis manifeste habetur, et ideo impossibile est quod  
ipsum templum edificare potuerit. preterea non dicit Solinus  
quod Ianus Ianiculum edificaverit, sed Ianiculam.  
Ianiculum supponit pro templo, Ianicula vero supponit pro  
civitate. tertius princeps, qui venit de partibus Orientis fuit  
Saturnus. iste Saturnus primus regnavit in Creta ed in alijs[Page 19]

insulis circumadiacentibus. et habuit .III. filios, scilicet  
Iovem, Neptunum et Plutonem. divisit autem filiis suis  
regnum, ita quod Iovi dedit montem Olimpum et circumadiacentem  
regionem. unde post mortem deus Olimpi vocatus est.  
alteri filio, scilicet Neptuno, dedit loca maritima. unde post  
mortem appellatus est deus aquarum. tertio filio, scilicet  
Plutoni, dedit omnia loca silvarum. unde post mortem appellatus  
est deus inferni primus autem filius, scilicet Iupiter,  
timens ne Saturnus, pater eius, alios filios generaret, eunuchum  
fecit; postmodum autem ipsum occidere procurabat. quapropter  
Saturnus, inde fugiens, in Ytaliam venit et in partibus Tuscie  
apud Subtrium latuit. unde et pars [illa] Ytalie Latium  
a latendo nomen accepit. tandem Saturnus post mortem Iani in  
Ytalia regnavit. iste Saturnus primo docuit homines illos domos  
edificare, terras colere, vineas plantare. unde et de Gretia  
semina furmenti fecit portari et vites afferri. prius enim homines  
in cryptis et casellis de frondibus factis habitabant, et more  
bestiarum glandes et radices edebant. iste Saturnus monetam,  
naves, vela et clipeos fieri primo docuit in Ytalia.  
quapropter post mortem suam Gentiles eum deum suum fecerunt.  
et ipsi tanquam deo cultus divinos exibuerunt.

quod Ianus, civis Troie, Ianuam ampliavit. [capitulum tertium].  
Secundus Ianus fuit quidam civis troeuanus, qui post destructionem Troie in Ytaliam venit. sicut enim dicunt ystorie antique et ipsi etiam poete testantur, fuit quidam vir in Troia, nomine Paris, qui fuit filius Priami, regis Troie. quem cum Ecuba mater eius in utero haberet, vedit per somnium quod de utero suo flama exibat, que totam Troiam incendebat.  
quod cum illa pontifici templi indicasset, ille respondit quod de ea filius nasceretur per quem Troia destrueretur. cum ergo natus fuisset, parentes eius nimium formidantes, miserunt in silvam ipsum puerum cum pastoribus educandum. qui cum crevisset, erat iuvenis valde ingeniosus, ita quod omnes suos coetaneos in omnibus ludis vincebat. illo autem tempore Peleus, pater Achillis, Tetidem duxit uxorem, sicut narrat Ovidius. ad cuius nuptias invitavit Iovem, Neptunum, Appolinem et Mercurium, quos deos vocabant et tres puellas formosissimas, scilicet Iunonem, Paladem et Venerern, quas deas appellabant. deam autem litis et discordie invitare noluit. illa autem indignata, pomum aureum fecit, in quo scripsit: "Pulcriori detur". et illud pomum proiecit in earum medium. quelibet autem illarum

[Page 21]  
attribuere sibi volebat. Iupiter autem consuluit ut ad Paridem sapientem, qui erat cum pastoribus, pergerent, et ipse inter eas iustum iudicaret. cum ergo venissent, Iuno, que fuerat filia Saturni, promisit Paridi quod, si pro ea iudicaret, regnum Cretense sibi daret. Pallas, que erat dea sapientie, promisit sibi dare magnam sapientiam. Venus, que erat dea amoris, promisit sibi dare Helenam, pulcerimam feminam, Menelai uxorem et sponsam. tunc Paris pro Venere dedit sententiam. post hoc autem dictus Paris, volens Helenam sibi promissam acquirere, ivit in Greciam, et supradictam Helenam rapuit et Troiam deduxit. erat autem dicta Helena uxor Menelai, regis Lacedemoniorum, propter quod tota Grecia commota est et contra Troiam universaliter conspiravit. congregantes igitur se Greci, .M.CC. naves armaverunt et Troiam potenter obsederunt, et per .X. annos in eius obsidione manserunt. verum cum dicta Helena Troiam fuisset deducta, philosophi, qui erant ibidem, ad ipsam videndam perreverunt. cum ergo tantam eius pulcritudinem conspexissent, facies suas cum clamidibus cooperierunt, dicentes: "Fugiamus, fugiamus". sciebant enim quod

[Page 22]  
pulcritudo visa provocat ad illicita. sciebant enim quod temptatio luxurie melius vincitur fugiendo, quam resistendo. quamvis enim milites hostes vincant resistendo. sunt tamen quidam milites, qui dicuntur Parthi, qui hostes suos vincunt fugiendo. sunt enim peritissimi in arte sagittandi. quando ergo hostes suos fugiunt, ad eos se vertunt et in eos sagittas emittunt, et sic iaciendo fugiunt et fugiendo iaciunt et sic victores existunt. eodem modo temptationes ceterorum peccatorum vincuntur resistendo, iuxta illud quod beatus Iacobus dicit: "Resistite dyabolo, et fugiet a vobis". tentatio autem luxurie melius vincitur fugiendo, iuxta illud quod Apostolus ait: "Fugite fornicationem". Greci igitur Troiam, civitatem

[Page 23]  
famosissimam et potentissimam, manu valida obsederunt, et obsessam ceperunt, et captam funditus destruxerunt. unde Greci ob gloriam sue victorie annos suos ex tunc a captione Troie annotare ceperunt. sicut enim Iudei annos suos annotant a liberatione egyptiaca sive a lege data. et Romani annotabant ab Urbe condita. et Christiani annotant ab incarnatione Dominica. sic et Greci annotabant a capta Troia. delecta igitur Troia, multi evaserunt, qui ad diversas mundi partes profecti sunt. inter ceteros autem exierunt inde tres magnates, scilicet Anthenor, Eneas et Ianus, qui ad Ytaliam navigando venerunt ut ibi proprias quererent masiones. inter se tamen taliter diviserunt, quod Anthenor ad partes Venetiarum navigando perrexit; Eneas ad partes Tuscie pervenit; Ianus autem ad partes nostras accessit navigando. Anthenor igitur, cum ad partes Venetiarum venisset et loca paludosa reperisset, non sibi placuit habitare ibidem, sed per quandam fluvium, qui vocatur Brenta, navigans infra terram, quandam

gratam planiciem invenit, et ibi mansionem suam habitare  
deliberans, quandam civitatem ibi construxit, quam Paduam appellavit.  
unde et in civitate Paduana eius sepulcrum conspicitur,  
ubi eciam taliter inscriptum habetur: "Hic iacet Anthenor,  
Paduane conditor urbis. proditor ipse fuit huique  
secundur eum". secundus, qui de Troia exivit, fuit Eneas.[Page 24]

istum autem Eneam genuit Achises de Venere, quam in silva  
cognovit. exierunt igitur de Troia Eneas et Achises, pater  
eius, et Ascanius, filius suus, et habuerunt naves .XX.. cumque  
[venissent] in Siciliam, pater eius ibi defunctus est,[Page 25]

apparuitque sibi vir in sompnis, dicens: "Noli timere, sed  
vade in Italiam, quia regnum ibi tibi debetur. et hoc  
tibi signum. cum illuc perveneris, invenies sub arbore illice  
porcam albam .XXX. porcellos albos habentem". cum igitur  
Eneas illuc venisset et porcellos illos albos invenisset, illic per  
filium civitatem edificavit. tunc autem in Ytalia regnabat  
Turnus, qui quidem Turnus acceperat in uxorem filiam Latini,  
qui ibi regnaverat ante eum. ipse enim Latinus linguam latinam  
correxit et de nomine suo latinam vocari instituit.  
huius mater, nomine Carmentis, latinas literas invenit;  
prius Latini grecis literis utebantur. Eneas igitur Turno,  
regi Ytalie, bellum indixit et eum in omnibus superavit. ipsoque  
interfecto, uxorem suam, que fuerat Latini filia, in uxorem accepit.  
filius quoque Enee, ut dictum est, civitatem Albanam edificavit  
et ex tunc omnes reges de stirpe Enee progeniti dicti [sunt]  
reges Albani. postmodum dicti sunt reges Silvi a quodam  
rege, qui in silvis dicitur fuisse natus. postmodum autem[Page 26]

vocati reges Romani a Romulo, qui urbem edificavit. tertius,  
qui de Troia exivit, fuit Ianus, qui dum ad partes Ianuenses  
accederet navigando, prosperum ventum semper habuit  
et semper prospere navigavit. sed cum venisset ad quendam  
locum, qui dicitur Albarium, ventus omnino cessavit, et albasia  
maxima facta fuit. ideo locus ille Albarium ab albasia  
nomen accepit. per hoc Ianus intellexit quod Deus  
vult ut de partibus illis non recedat, sed sibi mansionem  
suam faciat. cum ergo paululum ulterius processisset, situm  
terre considerans diligenter, multum sibi placuit, et ideo vela  
deponenda mandavit. propter hoc locus ille dictus est  
Calvignanum, ex eo quod ibi calavit Ianus. ad terram igitur  
aplicuit et in loco, qui dicitur Sarçanum, gaudens et letus et saltans,  
in terram descendit. ideo locus ille dictus est Sarçanum,  
quasi Saltus Iani. invenit igitur Ianus Ianiculam valde parvam[Page 27]

et ideo, volens ipsam ampliare et augmentare, castrum  
hedificavit in loco, qui nunc dicitur Castellum. fecit quoque  
turre et fortitias in loco ubi nunc est palatium  
archiepiscopale, et muris fortissimis omnia communivit.  
postmodum autem multi habitatores hinc inde venerunt et circumquaque  
domos edificaverunt, et paulatim crescere cepit Ianicula.  
istud autem quod diximus de isto Iano, cive Troie,  
scimus tantum per famam publicam et antiquam. nos enim  
filii didicimus a patribus nostris, et patres nostri a suis patribus  
ista similiter didicerunt; et sic generatio hec omnia nota  
fecit generationi et natio nationi, ut possimus dicere cum Propheta:  
"Quanta mandavit [Dominus] patribus nostris nota  
facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera; filii,  
qui nascentur, exurgent et narrabunt filiis suis". Moyses[Page 28]

etiam dicit: "Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi;  
maiores tuos, et dicent tibi". ista igitur, etsi non inveniantur  
in aliqua antiqua ystoria, inveniuntur vera esse ex  
fama publica et antiqua. ubi deest auctoritas, suplet fame  
celebritas; fama, que non [habet] ortum a levibus, sed a  
gravibus, que non est particularis sed generalis, que non est nova  
sed antiqua, talis in quantum fama non solum inducit presumptionem,  
non solum facit probabilitatem, sed etiam inducit et  
facit probationem. quod Ianus deus et ydolum Romanorum  
antiquitus in Ianua colebatur. [capitulum quartum].  
Tertius Ianus fuit quidam quem Romani pro deo colebant,  
quem et Ianuenses olim, dum essent pagani et gentiles  
similiter coluerunt. quis autem fuerit iste Ianus, vel unde  
venerit, vel qualiter Romani eum pro deo coluerunt, sanctus

Ysidorus hoc ostendit in libro De Astris. dicit enim quod[Page 29]

quidam, nomine Ianus, fuit rex Epirotarum, qui cum esset odiosus omnibus, de regno et terra sua cum iniuria est electus. qui, cum venisset Romam, invenit ipsam a barbaris multis obsessam. dixitque Romanis quod, si post mortem suam vellent ipsum pro deo colere, urbem ab obsidione hostium liberaret. quibus promittendibus, fecit sibi linteamina .XI. portari et ea in ceram liquefactam inmergi, et postea oleo perungiri et in aqua pingui involvi. quibus peractis, precepit ut illa .XI. linteamina sic parata circa eum involverent et duos gladios ignitos in manibus sibi darent. postmodum ipsum sic involutum super murum civitatis elevarent et ignem sibi supponerent.[Page 30]

cum vero ipse fortissime ad hostes clamaret se esse deum et gladios igneos contra hostes vibraret, tunc Romani armati cum clamore maximo in hostes impetum facerent et sic victoriam obtinerent. cum igitur ista omnia fuissent completa, videntes hostes ignem tam validum super murum elevari et de igne voces humanas emitti et gladios ignitos vibrari, et audientes ipsum se deum esse protestari, in tantum sunt territi et tremefacti, quod in fugam protinus sunt conversi. sciebant enim quod aliqua gentes ignem pro deo colebant. noverant insuper quod Romani omnium gentium deos habebant. et videntes illum ignem sic terribilem et loquentem, putaverunt esse deum ignis, qui pro Romanis pugnaret. Romani igitur, hostes fugientes insecuri, multos occiderunt et magnam victoriam habuerunt. ille autem Ianus penitus fuit extinctus et combustus. deinde subdit Ysidorus quod Romani, volentes promissionem servare illi Iano, quoddam templum maximum cum .C. portis ad honorem populi edificaverunt et ipsum templum Ianiculum vocaverunt. deinde quandam statuam maximam eneam fabricaverunt, facies duas habentem, unam ante et aliam retro, ita quod viri ad unam faciem et mulieres ad aliam adorabant. mensem quoque ianuarium illi deo Iano consecraverunt, depingentes illum mensem cum duabus similiter faciebus, quarum una est ante, cum qua respicit tempus futurum, alia est retro, cum qua respicit tempus preteritum. Ianuenses[Page 31]

igitur, cum essent tunc Romanis subiecti, volentes Romanis placere et eorum favorem habere, ipsum Ianum, qui erat Romanorum deus, sibi deum fecerunt et ipsum multo tempore coluerunt. sicut Ugo in libro Derivationum aperte testatur, fecerunt igitur Ianuenses magnam statuam eneam ipsius Iani, duas facies protendentem, ad unam quarum adorabant viri, ad aliam mulieres. demon quoque statuam intrabat et per ipsam statuam interrogantibus sepe responsa dabat. capitula .II.e partis.[Page 32]

Sequitur secunda pars, in qua agitur de tempore constructionis civitatis Ianue. et ista pars habet tria capitula. in primo capitulo ostenditur quo tempore fuit condita. in secundo capitulo ponitur tempus quo fuit ampliata. in tertio capitulo ostenditur quod Ianua fuit a Carthaginensibus sive Africanis desstructa, sed a Romanis reparata, et quo tempore fuit hoc. quo tempore Ianua fuit constructa. [capitulum primum].

Quoniam multi tempus constructionis civitatis Ianue et eius antiquitatem ignorare noscuntur, ideo necessarium iudicamus tempus sue constructionis ostendere et eius antiquitatem, in quantum invenire potuimus, demonstrare. fuit enim edificata per annos .CCCC. antequam Roma edificaretur. fuit iterum edificata per annos mille .D.XL.VI. antequam Christus in mundo[Page 33]

nasceretur. fuit etiam edificata in tertia mundi etate. sed parum valet ista dicere, nisi possimus ista, que dicimus, cumprobare. constat enim per superiora ex verbis Solini in libro De Mirabilibus Mundi quod Ianus, primus rex Ytalie, nostram Ianiculam edificavit. constat etiam per cronicas autenticas quod supradictus Ianus regnabat tempore Moysi, eo scilicet tempore quo Moyses ducatum populi Dei in deserto tenebat, quamvis aliisque cronice dicant quod iste Ianus regnabat tempore Habrae. constat autem per omnes cronicas autenticas quod Roma edificata fuit tempore Acham, regis Iudeorum. si igitur tempora computamus, inveniemus per cronicas quod a Moyse usque ad Acham fluxerunt anni .D.CCC.VII.. si ergo tempore

Moysi regnabat Ianus, ut dicunt cronicæ, et iste [edificavit] Ianiculam, ut dicit Solinus, et tempore Achæc, regis Iudeorum, edificata est Roma ut dicunt cronicæ, inveniemus quod per annos .D.CC.VII. edificata [fuit] Ianua ante Romam, tot enim [anni] fluxerunt a Moyse usque ad Acham. rursum, si computamus tempora a Moyse, sub quo edificata fuit Ianua, usque ad adventum Christi, invenimus fluxisse annos .M.D.XL.VI.. istam autem computationem facimus secundum assignationem beati Ieronimi, qui minorem numerum est secutus. Beda enim et Metodius martyr maiorem numerum[Page 34]

ponunt et plures annos fluxisse dicunt. ex ista ergo verissima et infallibili computatione manifeste habetur quod a prima edificatione civitatis Ianue usque ad presens tempus, in quo currunt anni Domini .M.CC.LXXXV. fluxerunt anni .M.M.D.CCC.XLI. . fuit etiam Ianua edificata in tertia etate mundi. distinguunt enim sancti doctores .VI. mundi etates. prima fuit ab Adam usque ad Noe, et ista etas secundum computationem Bede et[Page 35]

Eusebii habuit annos duo .M.CC.XLII.. secunda etas fuit a Noe usque ad Abraam, et ista etas secundum computationem supradictorum Bede et Eusebii habuit annos .D.CCCC.XLII.. tertia etas fuit ab Habraam usque ad David, et ista etas habuit [annos] .D.CCCC.XL. et in ista .IIIa. etate fuit Moyses. quarta etas fuit a David usque ad transmutationem populi Iudeorum in Babillonem, et ista etas habuit annos .CCCC.LXXXV. quinta etas fuit a transmigratione Babillonis usque ad adventum Domini, et ista etas habuit annos .D.XC.. et sic a principio mundi usque ad adventum Christi fluxerunt anni quinque milia .CIC. , et istum numerum communiter tenet Ecclesia. sexta etas est ab adventu Christi usque ad finem mundi, et ista etas iam habet annos .M.CC.LXXXV.[Page 36]

quot autem annos sit habitura ulterius novit solus Deus. si igitur Ianua edificata fuit tempore Moysi et ipse Moyses fuit in tertia etate mundi, manifestum est quod Ianua in tertia edificata fuit. quo tempore Ianua fuit ampliata. [capitulum secundum]. Quo autem tempore Ianua fuit ampliata de facili scire possumus, si ea que supra dicta sunt ad memoriam revocemus. diximus enim supra quod, destructa Troia, .III. magnates inde exierunt, qui ad Ytaliam venerunt, scilicet Anthenor, qui civitatem Paduanam fecit, Eneas, qui civitatem Albanam construxit, et Ianus qui civitatem Ianue, adhuc parvam et modicam, ampliavit.[Page 37]

secundum hoc igitur eo tempore, quo fuit destructio Troie, fuit facta per Ianum ampliatio et augmentatio Ianue. per cronicas autem habemus quod tempore Sansonis, viri fortissimi, destructa fuit Troia, et ideo tunc temporis fuit Ianua ampliata si igitur secundum cronicas tempora computamus, inveniemus quod a Sansone usque ad edificationem Rome fluxerunt anni .CCCCXX., et a Sansone usque ad Christum fluxerunt anni .M.XIX. . et sic patet quod Ianua ante Romam fuit per annos .CCCC.XX. et ante adventum Christi per annos .M.XIX. a Iano Troiano non quidem edificata, quia iam ab alio Iano edificata fuerat, sed ampliata et meliorata. sed pro tanto ab aliquibus dicitur quod Ianus, civis Troie, eam edificavit, quia ipsam de parvula satis magnam fecit. quod civitas Ianue a Cartaginensibus sive Africanis fuit destructa, sed a Romanis rehedicata et quo tempore fuit hoc. [capitulum tertium]. Romani, universo orbi sua potentia dominantes, ad hostes conversos clementes erant, rebelles potenter expugnabant, amicos tanquam fratres fovebant, amicis et inimicis fidem servabant. et dicit Augustinus de Romanis in libro De Civitate Dei quod acceptas iniurias potius volebant parcere, quam vindicare. et[Page 38]

dicit ibidem quod in laudem Romanorum dictus est ille versus poete: "Parcere subiectis et debellare superbos". illis autem temporibus Ianuenses cum Romanis erant confederati, et sub eorum umbra vivebant securi. Carthaginenses autem et Africani Romanis rebelles erant et eis sepe multa dampna et dispendia inferebant. erant autem tunc apud Carthaginem duo viri magnanimes et famosi, scilicet Anibal, qui erat rex Carthaginem, et Mago, frater eiusdem. isti contra Romanos per mare et per terram copiosum exercitum congregarunt;

ita quod Mago prefuit exercitui navalii, Anibal autem exercitui equestri. venit ergo Mago in Ytaliam habens secum, preter[Page 39]

multa alia ligna oneraria, naves .XXX., in quibus erant duo milia equitum et .XII. milia peditum. audiens autem dictus Mago quod Ianienses erant cum Romanis federati et eorum amici, subito in odium Romanorum, Ianiensibus improvisis, ad terram descendit et civitatem cum armis invasit, et multos occidens et civitatem capiens, ipsam fere destruxit totam. quo tempore autem istud factum fuerit, Titus Livius, qui inter latinos ystoriographos magis preclarus fuit, ostendit dicens quod anno ab Urbe condita .D.XXXIII. Mago cum .XXX. navibus rostratis et multis honerarijs, in quibus erant .XII. milia peditum et ferme duomilia equitum, Genuam venit eamque nullis presidijs munitam repentina adventu cepit et pene destruxit. illud quod dicit Titus Livius, quod ista captio et destructio facta fuit anno ab Urbe condita .D.XXXIII. invenitur secundum cronicas hoc fuisse per annos .CC.XXX. ante Christi adventum. si igitur antiquitatem civitatis Iane, quam supra[Page 40]

posuimus, aliqui credere nollent, cum secundum veritatem negare non possint, saltem ex verbis Titi Livii habetur quod ad minus per annos .CC.XXX. ante Christi adventum iam erat Iana constructa et edificata. verum quando Rome scitum fuit quod Mago Ianam sic ceperat atque destruxerat, senatus [et totus populus] Romanus nimium doluerunt, tum quia Ianienses erant eorum amici ac eis subiecti, tum quia civitas Iane erat quodammodo portus Romanorum. quando enim Romani classem in Africam vel in Yspaniam mittere volebant, ad portum Iane conveniebant. unde idem Titus Livius in secunda parte, ubi agit de secundo bello Punico inter Romanos et Carthaginenses, dicit sic: "Anno ab Urbe condita .D.XXXIII., Publius Cornelius Scipio, existens in Marsilia cum navibus, auditio quod Anibal pergebat ad Ytaliam, misit fratrem suum Scipionem in Yspaniam adversu Asdrubalem cum magna parte copiarum. ipse vero, naves ascendens,[Page 41]

pervenit Iana cum eximiis copiis, ut esset in occursum Anibali, quando ad Alpes transgrederetur". ex quo videtur quod Iana quodammodo erat portus Romanorum, ad quam ipsi Romani naves bellicas mittebant, quando in Yspaniam pergere volebant. tandem Romani Lucretium, nobilem virum, miserunt ut Iana reedificaret et ad statum pristinum revocaret. istud ostendit supradictus Titus Livius in libro .X. circa principium, dicens: "Existente consule Cornelio Servilio, anno .XVI. belli Punici, ab Urbe autem condita .D.XLV., Lucretio est imperium prorogatum ut Genuam opidum, a Magone pene diruptum, reedificaret". ex supradictis igitur verbis Titi[Page 42]

Livii patet quod civitas Iane usque ad undecimum annum devastata stetit. si enim anno .D.XXXIII. ab Urbe condita fuit a Magone destruta et anno ab Urbe condita .D.XLV. fuit a Cornelio reparata, manifestum est quod usque [ad] annum .XI. stetit taliter devastata. supradictus igitur Cornelius, Ianae veniens, ipsam reparavit et ad pristinum statum reduxit. Anibal igitur, qui exercitum equestrem tenebat, Romam venit et in tantum Romanos perdomuit, quod ipsam Urbem obsedit. at Scipio Romanus, qui postea dictus est Africanus, existente Anibale in obsidione Rome, classem paravit, et in Africam pergens, ferro et igne omnia devastabat. quod cum Anibal didicisset, dimissa obsidione, in Africam perrexit, ut suis civibus subveniret. tandem Romani Carthaginem et totam Africam capientes, suo dominio subiugarunt. habitum [est] igitur Rome consilium in senatu, ut dicit sanctus Augustinus in libro De Civitate Dei, quid sit de Carthagine faciendum. tunc Cato contionatus est, dicens quod iudicabat utile esse rei publice ut Carthago funditus destruatur. "Cum enim, inquit, totus mundus nobis obediatur et Carthago sepe rebellis existat, si[Page 43]

Carthago destruitur, totus mundus pacis solatio perfretur". post istum Scipio contionatus est dicens: "Non mihi placet consilium Catonis. ego enim reputo utile esse rei publice aliquos hostes nos habere, quia istud nos tenebit in timore et timor nos tenebit in unitate. sed si non habuerimus hostes exteiiores, nascentur nobis interiores, quia si ex omni parte

defecerit nobis bellum extrinsecum, procul dubio bellum habebimus  
intestinum. quia ipsa securitas et otium erit in nobis causa  
multorum malorum". sententia tamen Catonis optinuit.  
preceperunt igitur Romani Carthaginensibus ut omnes naves traderent.  
quibus traditis, preceperunt ut omnia arma darent. quibus datis,  
preceperunt ut omnes, tam viri quam mulieres, tam magni quam  
parvi, de urbe recederent. quod cum audissent Carthaginenses,  
ad desperationem se dederunt, dicentes se velle aut urbem defendere  
aut omnes ibi perire. et quoniam arma et omne  
ferrum Romanis tradiderant, ex auro et argento arma fabricant  
et Romanis rebellant, cunctis Romanis, qui erant in Cartagine,  
interfectis. tandem Romani iterum Carthaginem obsident,  
et cum hinc inde preliatum fuisse, videntes Carthaginenses  
se non posse defendere, petunt a Romanis ut eos in servos possideant.  
Romani autem preceperunt ut omnes, salva vita, de urbe [Page 44]

egrediantur. quibus egressis, Carthago penitus est destructa.  
illud autem verbum, quod superius dixit Scipio, quante fuerit veritatis  
probat experientia temporis subsequentis. nam, bellis  
omnibus superatis, bellum in Roma natum est civile et intestinum,  
quod ipsam Urbem deduxit ad nichil. unde dicit sanctus  
Augustinus in libro De Civitate Dei: "Probatum est quam  
verum dixit Scipio. deleta quippe Carthagine, que erat  
magnus terror Romanis, mala omnia sunt secuta, scilicet  
seditiones, bella civilia, cupiditates et ambitio dominandi".  
et subdit idem Augustinus: "Nolebat igitur Scipio civitatem  
destrui, ut timore libido premeretur, libido pressa non luxuriaretur,  
luxuria prohibita non crassaretur". [capitula tertie  
partis].

Sequitur tertia pars, in qua agitur quare Ianua tali nomine  
sit vocata. et ista pars habet quatuor capitula. in primo capitulo  
ponitur opinio illorum, qui dicunt quod vocata sit Ianua, tam a  
lano, qui ipsam edificavit, quam a lano, qui eam ampliavit.  
in secundo capitulo ponitur opinio illorum, qui dicunt quod  
vocata sit Ianua a lano, ydolo Romanorum, quod olim in Ianua  
colebatur. in tertio capitulo ponitur opinio illorum, qui dicunt  
quod vocata sit Ianua, ex eo quod introiit in Lombardiam.  
in .III.lo capitulo ponitur ratio quare fere in omnibus libris antiquis  
Genua nuncupatur. opinio illorum, qui dicunt quod [Page 45]

Ianua est vocata a lano, qui eam edificavit, et a lano, qui eam  
ampliavit. [capitulum primum].  
Nomen civitatis nostre, quod est Ianua, est nomen dulce ad meditatum,  
delectabile ad proferendum, iocundum ad audiendum et  
celebre ad divulgandum. est etiam illud nomen in ore mel, in  
aure melox, in corde iubilus. quare autem civitas nostra  
sit tali nomine insignita, diversi diversa senserunt. quidam  
enim dixerunt quod istud nomen sibi imposuit Ianus, qui eam construxit.  
impositum autem confirmavit Ianus, qui eam ampliavit.  
et ista est opinio sive sententia Solini in libro De Mirabilibus  
Mundi: quod scilicet dicta sit Ianua sive Ianicula a lano,  
primo rege Ytalie, qui eam edificavit. solebant enim antiqui  
civitates, quas edificabant, a suo nomine appellare.  
sicut Ninus, qui edificavit Ninivem, et Cres, qui edificavit  
Cretam, et Romulus, qui Romam edificavit, et Mathys regina,  
que Mantuam edificavit, eas a suis nominibus vocaverunt. [Page 46]

eodem modo Ianus Ianuam a suo nomine nuncupavit. desiderabant  
enim antiqui ut sua nomina perpetuarentur et sui memoria  
per secula recoleretur. et ideo civitates edificabant et  
nomina sua eis imponebant, ut quia ipsi perpetui esse non poterant,  
saltēm perpetui in civitatibus suis essent, quas edificabant  
et quas suis nominibus appellabant. si enim Romulus Romam  
non edificasset, vel de suo nomine eam non appellasset,  
nemo hodie sciret quis esset Romulus. eodem modo, si Ianus  
Ianuam non construxisset et de suo nomine eam non appellasset,  
nemo hodie sciret quis esset Ianus. de talibus dicit Propheta:  
"Vocaverunt nomina sua in terris suis". sed parum prodest  
ponere nomina sua in terra, si de libro vite sit deletum et cum  
iustis non sit scriptum. de quibus dicit Propheta: "Deleantur  
de libro viventium et cum iustis non scribantur". quid enim  
prodest Romulo habere celebre nomen in mundo, si eius anima  
cruciatur in inferno? et quid obest aliquibus sanctis viris, si  
eorum nomina non nominentur in terris et coram Deo sint scripta  
in celis? de talibus Dominus dicit in Evangelio: "Gaudete,

quia nomina vestra scripta sunt in celis". hinc est quod Dominus in Evangelio, agens de quodam divite splendido et de quodam paupere ulceroso, nomen divitis nominare noluit, sed tantum dixit: "Erat quidam dives, qui inducebatur purpura et cetera". nomen vero pauperis nominavit, dicens: "et erat quidam mendicus, nomine Lazarus". ad innuendum quod nomina malorum deleta sunt de libro vite, nomina vero bonorum ibi sunt scripta. utilius est igitur quod nomina nostra scribantur in libro vite, quam quod nominentur in aliqua civitate; quia illud habet beatitudinem, istud habet vanitatem quandam. opinio illorum, qui dicunt quod Ianua est vocata a Iano, ydolo Romanorum quod antiquitus in Ianua collebatur. [capitulum secundum].

Alli dicunt quod Ianua isto nomine sit vocata propter Ianum, ydolum Romanorum quod antiquitus in Ianua colebatur et ista est opinio et sententia Ugutionis in libro Derivationum. nec est aliqua infamia civitatis nostre, si dicimus quod ydola adorabat. excepto enim populo Iudeorum, qui unum solum verum Deum colebat, totus aliis mundus ante Christi adventum ydolis serviebat. quidam enim adorabant sydera, alij elementa, alij simulacra sive statuas. sydera quippe multe provincie adorabant. nam Saraceni adorabant Venerem. pars Ytalie, que est versus Romam, adorabat Saturnum, alia pars

[Page 48]

Ytalie adorabat Mercurium. multe nationes etiam adorabant elementa. primus autem, qui cepit elementa adorare, fuit Nenroth qui adorabat ignem et ceteros adorare cogebat. Unde dicitur in Ystoria Scolastica quod ipse Nenroth vixit usque ad tempora Habrae, et cum Habraam nollet ignem adorare, in ignem ipsum proiecit. sed Deus ipsum illesum servavit. unde dixit Dominus ipsi Habrae, sicut legitur in Genesi: "Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Ur, idest de igne Caldeorum". Caldei igitur ipsius Nemproth doctrinam sequentes, ignem pro deo adorabant. Egypci vero statuas colebant. et sicut dicitur in Ystoria Scolastica, deus Caldeorum, scilicet ignis, omnes alias deos, idest statuas omnes, consumebat et liquefaciebat. tandem sacerdos

[Page 49]

Egypci magnum vas fictile, plenum foraminibus, fieri fecit et foramina illa cum cera clausit. vase igitur illo aqua inpleto, super caput statue illud vas, tanquam coronam, poni fecit. congregati sunt igitur Egypci et Caldei, ordinantes ut dii ipsorum simul ponerentur, et quorum deus vinceret, illi de inimicis victoriam optinerent. producunt igitur Egyptii statuam suam. accenderunt Caldei circa statuam ignem suum, sed cera liquefacta ab igne et foraminibus apertis, aqua prosilivit et ignem extinxit et sic Egypci victoriam habuerunt. fuerunt autem multe aliae nationes, que simulacra coluerunt. et sicut dicitur in Ystoria Scolastica, ista simulacra sub Nino rege Asiriorum ortum habuerunt. dictus enim Ninus de morte patris sui, nomine Belli, in tantum doluit, quod in solarium sui meroris ad similitudinem patris sui statuam fieri fecit. quam in tanta reverentia habuit, quod si aliquando servi fugiti vel aliqui facinorosi ad illam statuam confugerent, omnes offensas eis totaliter remittebat. homines autem, qui ob gratiam illius ymaginis tanta beneficia assequebantur,

[Page 50]

ei turificabant et divinos honores exhibebant. ceteri autem homines, ut Nino regi placent, eadem sacrificia similiter exhibebant. tali igitur exemplo, ceteri de locis adiacentibus statuas aureas in honore parentum suorum fieri faciebant, et a suis populis similiter adorari faciebant, et per talem modum cultus ydolatrie crevit. alij vero adorabant animalia; unde dicitur in libro Sapientie: "Animalia miserrima colunt". Romani etiam adorabant anserem aureum, sicut enim legitur in ystoriis Romanorum, et Augustinus in libro De Civitate Dei et Orosius in parte tangunt. centum milia Theotonicorum de partibus Suevie et centum milia Gallicorum de partibus Senonensium, attracti dulcedine vini, in Ytaliam venerunt, et Medialanum, Papiam, Pergamum, Brisiam et Veronam edificaverunt. edificate fuerunt predicte civitates

[Page 51]

per annos .CCC.L. ante Christi adventum, in quinta mundi

estate, circa tempora Assueri regis et Hester regine, prout ex ystoriis antiquis et cronicis potest colligi manifeste. postmodum autem dicti Assuevi et Senones, Romam profecti, ipsam usque ad Capitolium obsederunt. Romani igitur sagittas in exercitum iaciebant. sed, deficientibus cordis, caudas equis amputaverunt et de ipsis setis cordas arcubus suis fecerunt. quibus deficientibus, mulieres crines suos amputaverunt et de ipsis crinibus cordas faciebant, quas viris suis dabant. quadam igitur nocte, dormientibus custodibus, hostes cum scalis super muros ascendebant. erat autem ibi grec anserum magnus, qui ascensum hostium sentientes, ceperunt alta voce insimul crocitare. custodes igitur ad eorum sonitum excitati, hostes fugarunt. dixerunt igitur Romani quod, ceteris diis Romanorum dormientibus, solus deus anser vigilabat, qui Romam ab hostibus liberavit. et ideo Romani anserem aureum fabricarunt, quem per annos multos tanquam deum adoraverunt, et thura sibi sacrificaverunt. Adorabant[Page 52]

etiam Romani omnium gentium deos et omnium provinciarum, civitatum atque locorum; et eis aras edificaverunt et statuas fabricaverunt. habebant tamen Romani duos speciales deos tanquam singulares patronos, scilicet Romulum, qui eam construxerat et Ianum, qui urbem suam ab hostibus liberavit. et ideo istis duobus semper magnam reverentiam exibeant, et multum eis placebat et pro bono multum habebant, quando aliqua provincia vel civitas aliquem de istis duobus pro suo deo accipiebat et sacrificia offerebat. Ianuenses igitur, cum favore Romanorum multum indigerent, tunc temporis Ianum pro suo deo acceperunt et ipsum multo tempore coluerunt. et ideo ab isto Iano, ut supra dictum est, Ianua est vocata propter illius ydoli, scilicet Iani, adorationem, et etiam propter illius ydoli quandam similitudinem. illud enim ydolum Iani cum duabus faciebus Gentiles depingebant; unam ante et aliam retro, et attribuebant ei principia et exitus omnium rerum. ideo dabant sibi duas facies; unam ante, cum qua respiciebat principia, et aliam retro, cum qua respiciebat fines. unde quando Romani volebant aliquod opus incipere, sacrificabant faciei Iani, que erat ex parte anteriori, ut daret bene incipere. et quando finierant, sacrificabant faciei, que erat ex parte posteriori, quia dederat bene finire. propter istam igitur talem similitudinem Ianua est vocata. habet etenim duas facies, unam ante se, cum qua respicit mare, et aliam post se, cum qua respicit terram. et sic quodammodo, quantum ad istas duas facies, illi Iano Ianua similis[Page 53]

videbatur. Ianuenses igitur ante adventum Christi adorabant Ianum et magnum statuam sibi fecerunt, que duas facies habebat; unam ante et aliam retro, ita quod viri adorabant ad faciem, que erat ante, et mulieres adorabant ad faciem, que erat retro; et quoniam illi deo Iano attribuebantur principia et exitus rerum, ideo [quando] Ianuenses volebant aliquod opus incipere, offerebant Iano sacrificia de animalibus vel de avibus ex parte faciei, que erat ante, ut ille Ianus daret eis bene incipere. quando illud opus iuxta suam voluntatem finierant, sacrificabant Iano ex parte faciei, que erat retro, ex eo quod sibi dederat bene finire. oppinio illorum, qui dicunt quod vocata est Ianua ex eo quod est introitus in Lombardiam. [capitulum tertium]. Alii dicunt quod vocata est Ianua ex eo quod est introitus in Lombardiam, in Tusciā et in Provinciam. hic tamen notanda est differentia inter portam, fores, valvam, ianuam et ostium. nam porta dicitur a portando, et est proprie civitatum. antiqui enim, quando volebant aliquam civitatem construere, totum ambitum cum aratro designabant. et cum ventum fuisset ad locum illum, ubi debebat porta civitatis fieri, aratrum suspendebant, et inde illud portabant. unde a tali portatione porta[Page 54]

nuncupata fuit. fores vero sunt porte [que] a foris aperiuntur. valve autem sunt porte, que interius aperiuntur. et dicuntur valve, sive a volvendo, quia in cardine volvuntur, sive a velando, quia velant nobis ea, que intus latent. Ianua vero est porta cancelata perforata, per quam videmus intus et extra, sicut in celariis fieri consuevit. ostium vero commune est ad omnia supradicta. et dicitur ostium ab ostendo, quia obstat ne illuc intret, nisi qui debet. civitas ergo nostra non est vocata porta nec fores nec valve nec ostium, sed Ianua, quia est porta sive cancelata, per quam intus et extra conspicimus. per ipsam enim in Lombardiam ingredimur, tanquam ad intra. per ipsam

mare transimus tanquam ad extra. istam autem rationem,  
scilicet quare vocata Ianua, quia est introitus in Lombardiam,[Page 55]

dicit Ugutio in libro Derivationum. ait enim quod dicitur  
Ianua non [tantum] quia ibi Iani ydoli cultus, sed etiam quia  
est in Lombardiam introitus. notandum autem quod Ianua  
in qualibet domo est ad decorum et est ad utilitatem, quia sine Ianua  
nichil in domum posset inferri nec efferri. est etiam  
ad sanitatem, quia si in aliqua domo non esset Ianua nec fenestre  
per quas aer subintrare posset, domus scaturiens feteret. eodem  
modo civitas Ianue est decor et decus non tantum Lombardie,  
sed etiam totius Ytalie. est etiam eis ad utilitatem maximam,  
quia de partibus ultramarinis cives eius merces deportant, quas aliis  
civitatibus communicant. est etiam habitatoribus suis ad sanitatem  
magnum. in pluribus alijs civitatibus sunt paludes  
fetentes, scaturientes fumositates aerem corruptentes; flant  
in estate chori et venti calore pestifero poros aperientes  
et humana corpora corruptentes. in civitate autem nostra  
non sunt loca paludosa, sed viridaria amena; non sunt fumositates,  
sed aeris puritates. et quamvis ibi flare consueverunt  
venti australes in estate, tamen non transeunt per loca sulphurea  
nec paludosa nec torrida, sed per mare. et ideo illi venti  
ex mari purificationem accipiunt et frigiditatem inducunt,  
ita quod aliquo calore noxio non vitiant, sed aliqua grata  
frigiditate delectant.[Page 56]

Ratio quare civitas Ianue in multis libris Genua nuncupatur.

[capitulum quartum].

Illud autem sub silentio non est pretereundum quod in  
omnibus fere libris antiquis civitas nostra non Ianua, sed Genua  
nominatur. et tunc a genibus nomen accepit. sunt autem[Page 57]

genua commissiones femorum et crurum. et secundum antiquos  
genua ipsa erant misericordie dedicata. sicut enim dicunt  
philosophi, omnes partes corporis Gentiles aliquibus diis consecraverant.  
aures autem consecraverant memorie, frontem ingenio,  
genua autem misericordie. quando autem aliquem  
ad misericordiam volumus provocare, genua incurvamus. naturaliter  
etiam quando aliquis oculos vel genas ad genua flectit,  
oculi lacrimis balneantur. et ratio est quia puer in utero matris  
existens stat ibi curvus, tenens genas super genua. unde et a genibus  
gene sunt nuncupate. et ideo quando aliquis genas vel  
oculos ad genua depositum, naturaliter lacrimatur, quia natura memor  
est sue miserie et miserabilis status, quo in matris utero morabatur.  
congrue igitur per genas designatur misericordia,  
tum quia ipsa genua sunt dedicata misericordie, tum quia flectimus  
genua quando aliquem volumus provocare ad misericordiam,  
tum quando genas et oculos ad genua flectimus, ad fletum  
et compassionem provocamur. recte igitur civitas nostra  
Genua, idest misericordia, appellatur, quia in ipsa omnia misericordie[Page 58]

opera exhibentur. nam ibi reficiuntur esurientes,  
ibi potantur scientes, ibi vestiuntur nudi, ibi hospicio recipiuntur  
peregrini, ibi visitantur et recreantur infirmi, ibi beneficiis  
et elemosinis recreantur incarcerati. vel potest  
dici quod genua sunt corpori necessaria ad ambulationem.  
sicut enim pedes sunt corpori necessarii ad sustentandum,[Page 59]

sic genua sunt eidem corpori necessaria ad ambulandum. sed  
notandum quod aliud est retrocedere, aliud subsistere, aliud  
ambulare. Genua autem non sunt deputata ad retrocedendum  
nec ad subsistendum, sed ad ambulandum. sunt quedam  
civitates que retrocesserunt, quia olim fuerunt maxime, sed modo  
parve. sicut patet in Roma et Babilonia, in Constantinopoli,  
in Ravenna, in Aquilegia et in aliis pluribus civitatibus. iste  
non possunt dici Genua, quia retrocesserunt. alie sunt que in ea  
paritate, sive quantitate, in qua incepserunt, consistunt. nec iste  
possunt dici Genua, quia in uno et eodem statu persistierunt. civitas  
autem Ianuensis non retrocessit nec in sua paritate subsistit.  
sed semper ambulavit, quia de parva facta est magna et de magna  
facta est maxima. et quia sic ambulavit, idest profecit, ideo  
merito Genua vocari promeruit. capitula .IIIle. partis.[Page 60]

Sequitur quarta pars, in qua agitur quo tempore civitas Ianue  
ad fidem Christi fuit conversa. et ista pars habet tria capitula. in

primo capitulo ostenditur quod totus mundus culture ydolatrie serviebat.  
in secundo capitulo ostenditur quod lanua fuit prima vel  
una de prioribus civitatibus Ytalie, que ad fidem Christi fuit conversa.  
in .IIIlo. capitulo ostenditur illud idem per rationem.  
Quod totus mundus ante Christi adventum culture ydolatrie  
serviebat. [capitulum primum].  
Ante Christi adventum genus humanum ita erat errorum tenebris  
execatum, quod, relicto vero Deo, fere omnes ydola  
vana et multa colebant, et statuas aureas et [argenteas] fabricantes,  
eis honores divinos et sacrificia offerebant. demones  
quoque ipsa simulacra subintrabant et per ipsa simulacra multa  
occulta et futura predicere hominibus videbantur. sicut enim  
dicit sanctus Ysidorus, demones tribus modis occulta et ventura  
scire possunt. primo per subtilitatem sue nature. videmus[Page 61]

enim quod quando [est] aliquis homo multum subtilis, qui habet  
acutum ingenium et subtilem intellectum, ipse per subtilitatem  
ingenij sui et acutam rationem suam multa sciet videre, que  
postea evenient in rei veritate. sicut enim speculatores aliquando  
vident remota oculis corporis, sic et sapientes viri et sancti ventura  
aliquando et occulta vident oculis mentis. unde dicitur in Ecclesiastico:  
"Anima viri sancti enuntiat aliquando vera  
quam .VII. circumspectores sedentes in excelsum ad speculandum".  
demones igitur habent naturam subtilissimam et  
intellectum acutissimum, et ideo per nature sue subtilitatem  
multa ventura et occulta conspiciunt, que postea ita eveniunt.  
Secundo demones occulta et ventura cognoscere possunt,  
sicut dicit sanctus Ysidorus, per experientiam temporum. videmus  
enim quod quando sunt aliqui homines longevi et antiqui, qui  
multa viderunt et plurima sunt experti, isti utique multa sciunt et  
de eventibus preteritis similia iudicant de futuris. unde  
dicitur in Ecclesiastico: "Vir in multis expertus cogitabit  
multa, et qui multa didicit, enarrabit intellectum". qui  
non est expertus, pauca recognoscit. demones igitur sunt multum  
antiqui, quia plus sunt quam .VI. milia annorum quod sunt  
creati. multa etiam et quasi infinita sunt experti. et ideo  
ex eventibus preteritorum coniunt simile iudicium futurorum.  
tertio demones [ventura] cognoscere possunt, ut dicit idem  
Ysidorus, revelatione spirituum supernorum. quando enim[Page 62]

Deus vult aliqua occulta exercere, revelat interdum per suos  
angelos ipsis demonibus, ut ipsi tanquam iustitiarij Dei, ministratum  
sibi exibeant et obsequium inpendant. istud ostenditur  
in libro Regum, ubi dicitur quod Deus, volens ut Achab,  
rex Israelis, propter scelerata sua in exercitu caderet et occideretur,  
manifestavit hoc spiritui malo, precipiens sibi ut Achab deciperet,  
consulendo sibi ut in prelum pergeret, ut sic ibi interiret,  
quod et factum est. demones igitur, subintrantes simulacra  
occulta, aliqua et ventura predicebant, que scire potuerunt vel  
ex subtilitate sue nature vel experientia et longo tempore vel  
ex revelatione angelica. et sic fere totum mundum ita excecauerant,  
quod omnes homines illa ydola talia deos esse credebant.  
fuerunt autem .IIIIor. cause, propter quas totus mundus  
fuit deceptus circa ydola et simulacra adoranda, quarum .III. cause  
ponuntur in libro Sapientie. prima causa fuit indiscreta dilectio.  
pater enim, nimis et indiscrete diligens filium, quando  
filius moriebatur, dicebat ipsum inter deos esse raptum. et ideo  
statuam auream sibi faciebat et sacrificia eidem offerebat. unde  
dicitur in eodem libro Sapientie: "Acerbo enim luctu  
pater dolens, rapti filij facit ymaginem et illum, qui mortuus[Page 63]

fuerat, tanquam deum colere cepit et constituit inter  
servos suos sacra et sacrificia". secunda causa fuit vana  
adulatio. homines enim, volentes regibus et principibus  
adulari, ymagines eorum fabricabant et eis thura et sacrificia  
offerebant, ut, quos non poterant habere presentes, colerent et adorarent  
absentes. unde dicitur in eodem libro Sapientie: "Evidenter  
ymaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt  
ut illum, qui aberat, tanquam presentem colerent sua sollicitudine".  
tertia causa fuit nimia cupidio. artifices enim et  
pictores et argentarij pulcerimas ymagines deauratas et pictas  
fabricabant, et illas deos esse dicebant. et sic propter ymaginum  
illam nimiam pulcritudinem, animos simplicium decipiebant  
et multam ex hoc pecuniam acquirebant. unde dicitur in  
eodem libro Sapientie: "Provexit autem ad horum culturam

artificis eximia diligentia". multitudine autem hominum,  
decepta per speciem operis, eum, qui ante tempus tanquam homo  
honoratus fuerat, nunc deum existimaverunt. quarta causa  
fuit demonum fallax deceptio. demones enim illa simulacra subintrabant  
et responsa dabant, et ex hoc simplices homines illas  
ymagines deos esse credebant. verum Christus per mundum apostolos  
misit qui veram fidem predicantes, cultum ydolorum[Page 64]

evacuarunt et fidem Christi docuerunt. noluit autem Christus  
facere ista per reges ne videretur mundus credidisse per timorem  
et mundanam potentiam; nec voluit facere per philosophos  
ne videretur mundus credidisse per humanam sapientiam, nec per  
divites ne videretur mundus credidisse per divitiarum sparsam  
habundantiam. sed hoc fecit per piscatores illiteratos et pauperes,  
in quibus non erat mundana potentia nec humana sapientia,  
nec rerum temporalium affluentia. ita quod per piscatores convertit  
imperatores, per illiteratos convertit philosophos, per  
pauperes convertit locupletes, ut sic cognoscatur quod fidem  
Christi mundus non recepit, nec per sapientiam humanam deceptus,  
nec munerum datione seductus, sed Dei inspiratione commonitus,  
Dei sapientia illustratus et miraculorum prodigiis provocatus.  
Quod prima civitas Ytalie vel una de prioribus, que fidem Christi  
recepit, fuit civitas Iauensis. [capitulum secundum].  
Post gloriosam Christi ascensionem et Spiritus sancti misionem  
apostoli insimul convenerunt ut fidem Christi insimul  
exponerent et provincias predicandas sibi condividerent. exponentes  
igitur fidem Christi, simbolum composuerunt .XII.  
articulos fidei ponentes ibidem. dicitur autem simbolus  
a 'sim', quod est simul, et 'bolus', quia quilibet apostolus  
ibi posuit suum bolum, idest suum articulum. siquidem doctores,[Page 65]

theologi, tam antiqui quam moderni, dixerunt et in suis scriptis  
et summis reliquerunt quod Petrus apostolus primum articulum  
posuit dicens: "Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem  
celi et terre". Iohannes posuit secundum dicens: "et in Ihesum  
Christum filium eius unicum, dominum nostrum". Iacobus  
Çebedei tertium posuit dicens: "qui conceptus est de Spiritu  
sancto, natus ex Maria Virgine". Andreas .I.IIIm. posuit  
dicens: "passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus".  
Thomas .Vm. posuit dicens: "descendit ad inferna".  
Bartholomeus .VIm. posuit dicens: "tertia die  
resurrexit a mortuis". Phylippus .VIIIm. posuit dicens:  
"ascendit ad celum, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis".  
Matheus .VIIIIm. posuit dicens: "inde venturus iudicare vivos  
et mortuos". Iacobus Alphei .VIIIIIm. posuit dicens:  
"credo in Spiritum sanctum". Symon .X. posuit dicens:  
"sanctam Ecclesiam catholicam". Thadeus .XIIm. posuit  
dicens: "Sanctorum communionem, remissionem peccatorum".  
Mathyas .XIIIm. posuit dicens: "carnis resurrectionem,  
vitam eternam". et tunc omnes apostoli responderunt:  
"Amen". Paulus autem nullum articulum posuit, quia nundum  
ad fidem conversus erat. hiis peractis, mundi[Page 66]

provincias diviserunt ad quas gratia predicationis esset quilibet  
prefecturus iuxta quod Dominus preceperat eis dicens: "Euntes  
in mundum universum predicate evangelium omni creature". in  
illa autem divisione provinciarum Petrus accepit ad predicandum  
Iudeam. Andreas Achayam. Iacobus Çebedei Yspaniam.  
Iohannes Asiam. Thomas Indiam. Matheus Ethiopiam.  
Bartholomeus Armeniam. Symon et Thadeus Persidam.  
Phylippus Asyam et civitatem Gerapolis et Siriam.  
Mathias cum Petro Iudeam. Iacobus autem, frater  
Domini, remansit in Ierusalem, quia ibi fuit ab apostolis [episcopus]  
ordinatus. alij autem discipuli ad diversas provincias  
sunt profecti. horum autem quidam ad Ytaliam pervenerunt.  
venit enim Barnabas, qui fidem Christi Rome et postea Mediolani  
predicavit. venit et sanctus Marchus evangelista,[Page 67]

qui Evangelium suum Rome et Aquilegia conscripsit. venerunt  
et principes apostolorum Petrus et Paulus, qui diversos discipulos  
per Ytaliam miserunt ut cultum ydolatrie evacuant,  
prestigia dyabolica abolerent et veram fidem Christi plantarent.  
horum quidam venerunt Iauam, verbum fidei predicantes ibidem.  
tantam autem gratiam ibidem est Dominus operatus, quod  
civitas Iauae confregit ydolum Iani et recepit salutiferam fidem

Christi. ita quod in tota Ytalia prima civitas extitit, vel una de prioribus, que fidem Christi publice recepit et publice confessa fuit. istud intendimus probare per auctoritates et rationem. auctoritates autem vocamus in hac parte ystorias et legendas sanctorum. quedam enim ystoria, que de civitatibus Ytalie tractat, inter alias civitates mentionem facit de Ianua,[Page 68]

asserens quod fuit prima civitas Ytalie, vel una de prioribus, in qua fides Christi fuit publice predicata et publice recepta, in qua fuerunt primo Dei sacrificia celebrata. credimus quidem quod fides Christi fuit primo predicata Rome et forte alibi, sed non publice sed occulte. nec illi publice sed occulte Christum confitebantur, nec ibi publice sed occulte Dei sacrificia celebrabantur. quia si aliquod istorum trium aliquando publice ab aliquibus fieret, mox diversis suppliciis occidebantur. si enim aliqui Christum publice predicabant, vel Christi fidem publice confitebantur, vel Christi sacrificia celebrabant, mox sine aliqua audientia interficiebantur. et ideo civitas Ianue prima fuisse dicitur, in qua fides Christi publice predicata fuit, in qua Christum omnes publice confitebantur et in qua divina sacrificia publice agebantur. in legenda quoque sanctorum Naçarij et Celsi legitur quod Nero imperator beatum Naçarium et Celsum, fidem Christi predicantes, navi imponi fecit precipientes ut in profundum pelagi mergerentur. qui, cum fuissent demersi, mox angelus Dei eos exceptit et circa navem illam tempestas maxima orta fuit. cumque naute periclitari timerent, rogaverunt sanctos ut navem ascenderent et pro eis orarent, promittentes se fidem Christi recepturos. quod cum sancti fecissent et tranquillitas redivisset, Ianuam incolumes advenerunt. deinde in ipsa legenda de verbo ad verbum taliter continetur. tunc in civitatem Ianue, prosperante Domino,[Page 69]

ut voluerunt, deducti sunt. Naçarius vero et puer Celsus, ingressi in civitatem Ianue, non cessabant die ac nocte predicare verbum Dei, annuntiantes remissionem peccatorum per baptismum salutis in nomine domini nostri Iesu Christi et credentes baptiçabantur. in alia autem legenda sancti Naçarij sic legitur: "Et deposuerunt sanctum Naçarium et Celsum in loco ab urbe Ianue ad passus fere sexcentos, ubi ipsorum meritis orantes exaudiuntur et vota solvuntur. et vocatur ille locus "ad Sanctos Peregrinos"". istum locum credimus esse illum ubi modo est ecclesia Sancti Naçarij de Albario. deinde ingressi sunt in civitatem Ianue, et cum[Page 70]

diutius predicassent, tandem Mediolanum venerunt. per istam legendam sancti Naçarij unum oportet concedere de duobus: aut[Page 71]

quod civitas Ianue antequam ibi predicaret iam erat fidelis, quod verius credimus, et Naçarius Ianuenses iam conversos in fide confirmavit et quosdam, qui adhuc non fuerant baptiçati, sacro fonte regeneravit; aut quod saltem sanctus Naçarius civitatem Ianue tunc ad fidem Christi convertit. si enim neutrum istorum duorum fuisse, tunc Ianuenses non permisissent beatum Naçarium tot diebus tam publice in Ianua predicare. sed aut ipsum cum iniuria expulissent aut diversis supplicijs occidissent sicut Mediolanenses fecerunt. cum autem predictus Naçarius de Ianua Mediolanum ivisset et Christum ibi predicaret, fuit cum beato Celso a Mediolanensibus, qui tunc erant infideles, capite truncatus. sicut namque Mediolanenses Naçarium fidem Christi predicanter interfecerunt, quia adhuc erant infideles, sic et Ianuenses supradictum Naçarium fidem Christi Ianue predicanter occidissent, si non fuissent fideles. si vero queritur quo tempore Ianua fuit ad fidem Christi conversa, dicimus quod, si tunc fidem Christi recepit quando Naçarius ibi predicavit, oportebit dicere quod .XXXV. anno annorum post Christi passionem civitas Ianue recepit fidem Christi. et istud taliter ostendimus et probamus. constat enim per cronicas auctenticas quod Nero imperator[Page 72]

mortuus est .XXXVI. anno post Christi passionem, et iste Nero, sicut dicit beatus Ieronimus in libro de Viris illustribus, ultimo anno imperij sui sanctos apostolos Petrum et Paulum occidit. et eodem anno sanctum Naçarium similiter interfecit. et sic Naçarius .XXXVII. anno post Christi passionem fuit martirio coronatus. ante autem mortem suam ad minus

per annum apud Ianuam predicavit et sic manifeste  
coligitur quod .xxx°v°. anno post Christi passionem Naçarius  
fidem Christi in Ianua predicavit et ipsam civitatem ad fidem  
Christi convertit. secundum hoc igitur civitas Ianue ad fidem  
Christi conversa fuit anno a nativitate Domini .LXVIIIo.,  
a passione vero Domini anno .XXXV. si vero dicimus,  
quod magis credibile est, quod antequam Naçarius predicaret in  
Ianua, erat ad fidem conversa, tunc oportebit dicere quod  
adhuc [minus] quam per annos .XXXVo. post Christi passionem  
civitas Ianue fuit ad fidem Christi conversa. per ea[Page 73]

igitur, que dicta sunt supra, et per hoc quod civitas Ianue  
tam cito post Christi passionem ad fidem Christi venit, manifestum  
omnibus esse debet verum esse quod supra diximus, scilicet  
quod civitas Ianue prima aut una de prioribus civitatibus  
Ytalia extitit, in qua fides Christi fuit publice predicata et publice  
recepta, et in qua Dei sacrificia fuerunt publice celebrata. hic  
ostenditur [per rationem] quod civitas Ianuensis fuit prima in  
Ytalia, vel una de prioribus, que fidem Christi recepit. [capitulum  
tertium].

Postquam ostendimus per auctoritates quod civitas nostra Ianue  
fuit prima in tota Ytalia, vel una de prioribus, que fidem Christi  
recepit, restat ut per rationem istud idem similiter ostendamus.  
constat enim per omnes cronicas et ystorias auctenticas quod  
Nero fuit primus inperator, qui persecutionem intulit Christianis.  
secundus fuit Domitianus, tertius fuit Traianus,  
quartus fuit Adrianus, .Vs. fuit Antoninus Verus, .VI. fuit  
Aurelius Comodus. et sic fere omnes alij imperatores  
usque ad Constantinum persecuti sunt crudeliter fidem Christi. a  
Nerone autem imperatore usque ad Constantinum, secundum  
cronicas, fluxerunt anni .CC.LIX.. siquidem Nero cepit imperare  
anno Domini .LVIIo., Constantinus vero anno Domini  
.CCCo.LXo. . in isto autem toto tempore imperatores per[Page 74]

universum mundum edictum miserunt ut Christiani ubique inquirerentur.  
in istis autem annis, in quibus duravit persecutio  
Christianorum, multa Christianorum milia fuerunt occisa,  
tam in Syria quam in Grecia, quam etiam in Ytalia et maxime  
Rome, Mediolani, Ravenne et in alijs partibus Ytalie.  
in omnibus autem istis annis nunquam aliquis Christianus in Ianua  
fuit occisus. ex quo videtur quod iam tempore Neronis  
imperatoris, sub quo incepit Christianorum prima persecutio,  
erat ad fidem Christi conversa. si enim infideles fuissent,  
certum est quod multos Christianos occidissent, quemadmodum  
civitates alie occidebant. sed forte aliquis nobis dicet quod  
ideo Ianuenses Christianos non occidebant, quia per Ianuam transitum  
non faciebant, istud autem stare non potest. constat  
enim quod fides Christianorum ortum habuit in Syria Palestine,[Page 75]

quia omnes apostoli et primitivi Christiani de regno Ierosolimitano  
fuisse noscuntur. deinde de Syria Palestine fides  
Christi in Greciam venit, de Grecia venit in Ytaliam. maxime  
autem fides Christi per beatum Petrum apostolum fuit  
predicata Rome, ubi ipse beatus Petrus per annos .XXV. cathedram  
pontificalem tenuit. quis igitur ignorat quod multi Christiani  
infra istos .xxv. annos, quibus sanctus Petrus Rome stetit,  
tam de Syria quam de Grecia in Ytaliam veniebant ut  
ad sanctum Petrum pergerent et eum, qui erat vicarius Christi,  
visitarent? quis ignorat quod infra annos .CCLII., in quibus  
duravit persecutio, multa milia Christianorum, tam de Syria quam  
de Grecia, in Ytaliam venerunt et de Ytalia in Greciam sive in  
Syriam profecti fuerunt? et cum Ianuenses semper naves  
habuerint, cum quibus ad partes ultramarinas et in Greciam pergebant,  
non est aliquod dubium quod multi tunc temporis per  
Ianuam transibant; sive qui volebant de Ytalia ire in Syriam  
vel in Greciam, sive de Syria vel Grecia ad Ytaliam venire  
cupiebant. et tamen, sicut dictum est, nullus unquam Christianus  
fuit ibi aliquo tempore interfactus. ex quo manifeste constat  
quod iam erant catholici et fideles Christiani. sed forte  
aliqui dicent: nos quidem negare non [possumus] propter[Page 76]

rationem superius asignatam, quin multi Christiani per Ianuam  
transirent; sed tamen ita occulte transibant, quod  
cognosci non poterant. istud autem non habet apparentiam  
veritatis. quomodo enim verisimile est quod tot milia Christianorum

per annos .CC.LII. per Ianuam transirent et aliqui  
eorum cogniti non fuerint? preterea imperatores preceperant  
ut Christiani per omnes terras diligenter inquirerentur et  
occiderentur. Ianuenses, si tunc erant infideles, inquirere tenebantur  
et si inquisivissent, et certum est quod multos invenissent,  
quos occidere debuissent. nullus tamen christianus unquam ibi fuit  
occisus, ex quo manifeste habetur, ut supra dictum est, quod  
ex tunc ipsi Ianuenses iam erant fideles et ideo Christianos  
et fideles non persecabantur. sicut enim dicit sanctus Augustinus,  
boni non persecuntur bonos nec mali malos, sed boni  
malos et mali bonos. Ianuenses igitur, Christiani effecti,  
non persecabantur alios Christianos, quia boni non persecuntur  
bonos. Ianuenses vero, dum essent ydolatrie dediti, non  
persecabantur alios ydolatras, quia mali non persecuntur  
malos. Ianuenses igitur, facti Christiani, persecuntur[Page 77]

hereticos, quia boni persecuntur malos. heretici autem persecuntur  
Catholicos, quia mali persecuntur bonos istam autem  
fidem Christi, quam civitas Ianue habuit, tam cito post  
passionem Christi recepit sic integrum, sic illibatam servavit, quod  
nullus hereticus unquam aliquod semen erroris ibi potuit spargere,  
nulla unquam heres ibi potuit pululare. quamvis  
enim multe civitates Lombardie, que civitati Ianuensi sunt  
valde vicine, fuerint heretica pravitate corupte, civitas tamen  
Ianue puritatem fidei illibatam tenuit et incorruptam servavit.  
nulla utique ibi esse [potuit] errori admixtio, sed semper  
fundamentum tenuit catholice veritatis. a seculo enim non  
est auditum quod aliquis natione Ianuensis unquam fuerit heretica  
pravitate corruptus; ymo, si aliquando aliquos hereticos  
de Lombardia vel aliunde venire Ianuam contingat, mox  
ut sciri possunt, capiuntur et ignibus comburuntur. et[Page 78]

quoniam Ianuenses sic tempestive fuerunt in fide Christi consolidati  
et fundati, ideo hodie inveniuntur esse et circa  
fidei sacramenta constantes et firmi, et circa officia ecclesiastica  
asidui et circa verba Dei audienda devoti. capitula .Ve.  
partis.

Sequitur quinta pars, in qua agitur de triplici statu, quem  
secundum varietatem temporis habuit civitas Ianue. et illa  
pars habet tria capitula. in primo capitulo agitur qualis et quanta  
fuit in statu sue inchoationis. in secundo qualis et quanta  
fuit in statu sue progressionis. in tertio qualis et quanta fuit et  
est in statu sue perfectionis. qualis et quanta fuit civitas Ianue  
in statu sue inchoationis. [capitulum primum].

Quoniam nemo repente fit summus et omnia magna incipiuntur  
a parvis et summa ab infimis, ideo civitas Ianue a[Page 79]

parvis incepit et de parvis ad magna profecit et de magnis ad maxima  
peruenit. fuit enim in triplici statu, scilicet in statu  
inchoationis, [progressionis] et perfectionis. in statu inchoationis  
fuit multum parva. in statu progressionis fuit satis  
magna. in statu sue perfectionis fuit et est potens et maxima.  
iste est enim modus et gradus proficiendi, scilicet a parvis  
incipere, ad magna procedere et ad maxima peruenire. de  
hoc exemplum habemus in naturalibus, in corporalibus et in spiritualibus.  
in naturalibus quidem exemplum habemus, quod lux  
in sua perfectione non statim diffundit se, sed in modica luce  
aurore; postea procedit in maiorem lucem, tandem crescit in perfectam  
diem. et hoc est quod dicit sapientissimus Salomon:  
"Sema iusti, quasi lux splendens, procedit et crescit usque  
ad perfectam diem". de hoc etiam exemplum habemus  
in corporalibus, quia quando homo nascitur, non nascitur semper  
in corpore vel etate perfectus, sed de pueritia venit[Page 80]

ad iuventutem, de iuventute ad virilem etatem. habemus  
etiam de hoc exemplum in spiritualibus, quia nemo statim in  
gratia fit perfectus; sed de gratia incipiente progreditur ad gratiam  
proficientem, et de gratia proficiente peruenit ad gratiam confirmatam  
et perfectam. civitas igitur Ianue in statu sue inchoationis  
fuit tanquam aurora, idest lux modica, in statu sue progressionis  
fuit tanquam lux satis magna, in statu sue perfectionis  
fuit et est tanquam dies perfecta. similiter in statu sue inchoationis  
fuit quasi in pueritia, in statu sue progressionis fuit  
quasi in iuventute firma, in statu perfectionis fuit et est quasi  
in virili etate robusta. similiter in statu sue inchoationis

habuit gratiam incipientem per quam sapienter incepit; in statu progressionis habuit gratiam proficiem, per quam laudabiliter profecit; in statu sue perfectionis habuit gratiam perfectam, per quam perfectionem in potentia et gloria apprehendit. qualis autem et quanta civitas lanue in statu inchoationis fuerit, vel quid tunc egerit, hoc ad nostram notitiam non pervenit. aliqua tamen de ipsa leguntur, per que eius parvitas ab initio demonstratur. Solinus non vocat eam lanuam, sed laniculam, volens ex hoc eius innuere parvitatem. Titus Livius non vocat eam civitatem, sed oppidum. est autem[Page 81]

oppidum quodlibet castrum, quod dicitur oppidum, vel ab oppositione murorum vel ab opibus, idest divitiis, que tempore guerre propter securitatem ibidem reponuntur. idem quoque Titus Livius dicit quod quidam Africanus, nomine Mago, lanuam subito cepit et destruxit. si enim tunc magna et munita fuisset, ipsam tam subito capere non potuisset. in registro quoque palatij lanuensis archiepiscopatus et in legenda sancti Romuli legitur quod Saraceni cum galeis et lignis ad partes nostras sepe veniebant et maximas strages dabant. in istoriis autem antiquis nulla aut modica mentio de lanua[Page 82]

habetur, et hoc propter duas, ut credimus, causas. una est quia tam parva erat, quod ystoriographi [de ipsa] agere non curabant. alia causa est quia propter suam parvitatem non erat cognita nisi in locis vicinis, et ideo ystoriographi de ipsa notitiam non habebant. ista autem omnia, que prediximus, indicant quod civitas lanue a principio fuit parva. sed videamus quomodo ista, que tunc indicabant suam parvitatem, modo in maxima sunt conversa et suam indicant dignitatem. que enim dicebatur lanicula, modo vocari potest non solum lanua sive porta, sed etiam lanitrix sive portonaria. ipsa enim est lanitrix sive portonaria maris, quia si claudit, nemo aperit, si aperit, nemo claudit. si enim ipsa claudit mare, non est aliqua gens usque in Suriam et Gretiam et usque ad ultimos Yspaniarum fines, que audeat navigare secura. si vero [mare] apperit et ipsum custodit, omnes possunt navigare secure. que prius dicebatur oppidum sive castrum, modo potest vocari regnum et quoddam imperium. que olim capta et destructa fuit ab Africanis, modo facilius esset ut lanua caperet et destrueret totam Africam, quam Africa lanuam. que olim a Saracenis infestabatur, modo ad civitates Saracenorum potenter accedit, eas audacter[Page 83]

invadit et triumphaliter capit. que olim propter suam parvitatem non nominabatur in aliqua antiqua ystoria, modo propter sui sublimitatem nominatur per omnia mundi regna et imperia. cuius nomen olim non erat cognitum, nisi per vicinitates locorum, modo est divulgatum usque in omnes fines orbis terrarum. ecce quomodo civitas lanue a parvis incepit et de parvis ad magna processit et de magnis ad maxima pervenit. qualis et quanta civitas lanue fuit et est in statu sue progressionis. [capitulum secundum].

Postquam vidimus de statu inchoationis civitatis nostre, in quo statu fuit satis parva, videamus nunc de statu sue progressionis, in quo statu fuit multum magna. civitas autem lanue, postquam crescere incepit, ad magnum statum pervenit et magna et magnifica et victoriosissima opera fecit. et si vellemus omnia magnifica et victoriosa opera enarrare, que fecit postquam crescere incepit, que quidem in cronica communis lanue continentur,[Page 84]

hoc esset nobis laboriosum et oporteret nos scribere magnum librum. et ideo tantum .I.IIlor. opera magnifica et victoriosa ponemus, que in cronica communis lanue sunt scripta. quelibet enim civitas tenetur Deo, sibi, amicis et inimicis; nam Deo tenetur exhibere honorem, sibi procurare comunem utilitatem, amicis exhibere consolationem, inimicis secundum regulam evangelicam dare amorem. sed homines mundi magis desiderant de suis inimicis habere victoriam, quam eis inpendere caritatem operosam. ideoque ponemus hic ad presens unum opus victoriosum, quod fecit civitas lanue in statu sue progressionis, quod quidem fuit ad Dei honorem. aliud, quod fuit ad ipsius civitatis magnam utilitatem. tertium, quod fuit ad amicorum et Christianorum magnam consolationem .I.IIm., quod fuit ad magnam civitatis victoriam et exaltationem. primo ergo ponamus factum victoriosum, quod fuit ad magnum Dei honorem.

siquidem inimici crucis Christi, scilicet Saraceni, Ierusalem  
detinebant et ubi fuit crucifixus Christus, ibi adorabatur Machometus.  
terra illa, que consecrata erat sanguine Christi,  
fedebatur immundis operibus filiorum dyaboli. sepulcrum, in  
quo pretiosum corpus Christi iacuerat, in manibus porcorum  
et canum deditum erat. quocirca Ianuenses, animati ut Christi  
tantam iniuriam vindicarent et sepulcrum Christi de manibus  
Saracenorum eriperent, galeas .XL. fortiter armaverunt  
et Ierusalem cuperunt et Godofredum de Bugnono regem [Page 85]

constituerunt. cuperunt tunc Acharon et Gibelletum  
minorem. Cersonam quoque et Aquotum et Tortosam.  
capta autem fuit Ierusalem anno Domini .M.LXXXIXO. cum  
vero ad sepulcrum Domini accessissent, rogaverunt Christum  
ut lumen de celo eis mitteret, quod mitti alijs temporibus consuevit.  
cum igitur sic orarent, visibiliter viderunt quod lumen  
de celo descendit, et lampades .XVI., que ibi pendebant  
extincte, illo igne divinitus sunt accense, et sic Deo omnes gratias  
retulerunt. Capharus autem, qui fuit primus gestorum communis  
Ianue cronographus, dicit se predicte captioni interfuisse et  
supra dictum lumen de celo descendere et lampades accensas conspexisse.  
anno quoque sequenti armaverunt galeas .XXVI. [Page 86]

et naves .VI. et in Siriam perriexerunt, et mortuo Godofredo  
rege Ierosolimitano, Balduinum, ducem Lotoringie,  
fratrem ipsius Godofredi, regem loco ipsius constituerunt. et  
Cesaream et multas civitates Sarracenorum preliando cuperunt,  
in quibus ecclesias Christi erexerunt. anno vero Domini  
.M.C°VI°. Ianuenses, .XL. galeas armantes, in Siriam sunt  
profecti, et Tripolim et Gibellum maiores cuperunt, et civitates  
illas Christi ecclesiis repleverunt. fecit etiam civitas  
Ianue in statu sue progressionis quoddam aliud factum victoriosum,  
quod cessit ad ipsius civitatis magnam utilitatem. nam circa  
annos Domini .D.CCCC.XXXIII. [cum] Ianuenses cum galeis  
armatis ad quedam loca, ut dicitur, processissent, ecce galee  
plures Saracenorum, de Affrica venientes, civitatem Ianue  
hostiliter intraverunt et civitatem cum armis percurrentes, magnum [Page 87]

hominum cedem fecerunt. ipsam quoque civitatem thesauris  
et divitijs spoliarunt. insuper parvulos et mulieres captivas et  
captivos duxerunt ad suam patriam. dum igitur recessissent,  
galee Ianuensium applicuerunt et audientes [casum]  
tam tristem et tam dolorosum, inimicos, accensis animis,  
tamquam leones ferores sunt protinus insecuri. Sarraceni autem  
in quadam insula Sardinee de Buxinarijs, que Insclamontor  
dicitur, residebant ut spolia dividerent et commessionibus vacarent.  
Ianuenses hostes viriliter sunt agressi et omnes gladio trucidarunt,  
unde usque hodie, sicut dicunt illi qui viderunt, ibidem ostenditur,  
acerbus ossium occisorum in testimonium tante occisionis  
facte. quocirca Ianuenses, recuperatis uxoribus et filiis et  
thesauris, Ianuam cum immenso gaudio redierunt. ista autem  
tanta strages hominum, a Sarracenis in Ianua facta, [permonstrata]  
fuit Ianue in quedam fonte converso in sanguinem, qui uno  
die largissime emanavit in loco, qui hodie dicitur Fontanella, [Page 88]

sicut infra dicetur in titulo de Theodolfo, episcopo nono. fecit  
etiam civitas Ianue in statu sue progressionis aliud factum  
victoriosum, quod cessit in magnum Christianorum consolationem.  
siquidem Antiochena civitas a Saracenis fuerat  
capta et a Christianis ablata, de quo inmenso dolore Ecclesia  
et tota Christianitas fuit afflita, tum quia erat civitas nobilis,  
tum quia nomen Christianitatis primo ortum habuit, tum quia  
beatus Petrus apostolus primam cathedram pontificalem ibi  
tenuit et per septem annos ibi sedet, tum quia corona et tunsura  
clericorum ibi primo incepit. quocirca summus pontifex [Page 89]

Ianuenses requisivit ut ad recuperationem civitatis Antiochie  
exercitum mitterent galearum. Ianuenses igitur summo pontifici  
obedientes, galeas .XL., ut supra dictum est, armatas strenue  
in Siriam direxerunt. anno autem Domini .Mo.LXXXIXO.  
cum magno exercitu Galicorum et aliorum peregrinorum  
sub duce Godofredo de Bugnono, Antiochiam venientes, ipsam  
potenter cuperunt, Deo gratias magnas referentes. Sarraceni  
vero, magno exercitu congregato, Antiochiam redierunt, ipsam  
recuperare volentes. sed Ianuenses cum ceteris Christianis ipsos

penitus fugaverunt, et sic Ianuenses cum victoria magna et immenso gaudio ad propria sunt reversi. fecit etiam civitas Ianue in statu sue progressionis aliud factum magnificentum, quod ad magnam victoram de hostibus eis cessit. nam circa Domini annos .M.CXX. Ianuenses contra Pisanos galeas .LXXX. et gatas multas et alia ligna potenter armaverunt, et per Arnum fluvium pergentes et in terram descendentes, stantarium et vexilla in terra fixerunt et exercitum Pisanorum fugarunt, et sic Pisani territi cum eis composuerunt, promittentes quicquid Ianuenses peterent se facturos. et quoniam Pisani multos Ianuenses in carcere detinebant, Ianuenses illuc accesserunt et eos inde[Page 90]

eduxerunt, et sic omnia, que voluerunt, ad libitum asecuti, Ianuam cum magna redierunt gloria. qualis et quanta civitas Ianue fuit et est in statu sue perfectionis. [capitulum tertium]./\*

Postquam vidimus qualis et quanta fuit civitas Ianue in statu sue inchoationis et progressionis, nunc restat videre qualis et quanta fuit et est in statu sue perfectionis. in quo quidem statu fuit et est potens et maxima. istum autem statum credimus incepisse ab illo tempore circa, quo fuit archiepiscopali honore sublimata, quod quidem fuit anno Domini .M°.CXXXIII. et tunc civitas Ianue multum cepit crescere et nomen suum ubique terrarum plurimum dilatare. dignum enim fuit ut tunc inciperet amplius sublimari quando [honore] archiepiscopali meruit exaltari ut, sicut in ea crescere cepit spiritualis autoritas, sic et cresceret secularis potestas, ut divitiis et potentia inciperet esse gloriosior, que facta fuerat archiepiscopali dignitate sublimior. ab illo igitur tempore divitiis et gloria multum crevit et multum potentiam, et dominium ampliavit. in tantum quidem crevit, quod eius potentiam experta est magnificentia regum, gens Saracenorum et etiam civitas Venetorum nec non et civitas Pisanorum. ista autem ostendamus per pauca exempla, que in cronica communis Ianue invenimus veraci, ut credimus, stillo conscripta. si omnia, que ibi sunt scripta de ista materia, vellemus[Page 91]

hic scribere, posset nimia prolixitas auditorum animos honerare. ostendamus igitur quomodo potentiam civitatis Ianue imperialis magnificentia est experta. si enim aliquando reges vel principes vel imperatores Ecclesie contradicere voluerunt, Ianuenses semper, fide inconcussa devotione sedula, Ecclesie adheserunt non timentes potentias regum, non formidantes animositates principum, parvipedentes minas et precepta imperatorum. anno Domini .M.oC.LV. Fredericus imperator Ianuam misit ut solempnes ambasiatores, cum pleno mandato faciendi quicquid preciperet, ad suam presentiam mitterentur. missi sunt igitur ambasiatores, non tamen, ut petebat, mandatum portantes plenum. cum igitur venissent, petijt imperator ut sibi Ianuenses homagium facerent, fidelitatem iurarent, obsides sibi darent, tributa persolverent. et multa alia gravia postulabat. que cum ambasiatores audissent, insalutato hospite, Ianuam redierunt et omnia in consilio retulerunt. diffinitum est in consilio ut omnia, que imperator postulabat, denegentur. sola tamen sibi fidelitas offeratur. quod cum imperator audisset, in iram et furem [est] maximum excitatus, minans quod ad civitatem veniret potenter et sue dominationi subiciet. Ianuenses igitur ad defendendum se viriliter paraverunt, civitatem muro cingentes et alias fortitias erigentes. sed cum imperator tantam eorum constantiam audivisset,[Page 92]

a suo proposito destitit et sola fidelitate contentus fuit. anno quoque Domini .Mo.C.LXIIo., cum Alexander III canonice in papam fuisset electus, Fredericus imperator .IIIlor. alias in summos pontifices successive per tyramnidem fieri procuravit, dicto Alexandro totis viribus se opponens. qui tamen omnes electi mala morte perierunt. sicut enim male intraverunt, ita male exiverunt. cuius rei causa sisma inter papam et imperatorem longo tempore perduravit. sed cum Alexander timore imperatoris non posset in Urbe consistere, misit Ianuensibus ut ipsum de manu pharaonis eriperent et ipsum Ianuam deportarent. quocirca Ianuenses galeas armaverunt et ipsum papam Alexandrum Ianuam deportaverunt, minas imperatoris parvipedentes dummodo Ecclesie servirent. postmodum autem ipsum in Franciam portaverunt. qualiter autem Frederico primo et Octoni et Conrado et Frederico secundo

imperatoribus ab Ecclesia excommunicatis et sismaticis  
Ianienses totis viribus in favorem Ecclesie restiterunt.[Page 93]

sufficienter in cronicis et in ystorijs omnia reperiuntur expressa.  
anno quoque [Domini] .Mo.CCo.XLIII., cum alias Fredericus  
imperator dominum Innocentium papam IIIIm in Subtrio  
teneret obsessum Ianienses galeas .XXIIIIor. armaverunt et  
de Civitate Vetula accipientes ipsum papam, eum Ianiam deduxerunt;  
quod quidem imperatori displicuit vehementer, maxime cum  
sciret quod ipse Innocentius Lugdunum pergeret, ut contra  
se consilium celebraret et ipsum ab imperio deponeret, sicut  
ivit et ipsum ibi depositus. sed Ianienses penitus de ipsa indignatione  
non curaverunt. potentiam Ianiensem sepe enim  
gens Saracenorum experta est. nam magnas et famosas civitates  
obsederunt atque ceperunt, scilicet Armariam atque Tortosam  
cum stolo maximo galearum, quas ceperunt anno  
Domini .M.C.XLVIII. in captione enim Armarie habuerunt  
Ianienses .LXIII. galeas et multas naves. capientes dictam  
civitatem, ceperunt in ea viginti .Ma. hominum, exceptis  
illis, qui fuerunt in prelio interfici. sequenti vero anno Tortosam  
accidentes, eam potenter ceperunt. Septam quoque,[Page 94]

civitatem Saracenorum famosam et populosam, potenter obsederunt  
anno scilicet Domini .M.CC.XXXII., ubi fuerunt magne  
naves .LXX., minores vero .XXX., galee quoque .XX.  
et multa alia ligna armata. Damiatam quoque anno Domini  
.M.CC.XX., adiuvantibus Francis, potenter ceperunt. potentiam  
etiam Iane sepe experta est civitas Pisanorum.  
nam Ianienses sepe portum Pisanum intraverunt et turres  
funditus destruxerunt. Plumbinum quoque penitus destruentes,  
mulieres et parvulos Ianiam deduxerunt. quid plura? si  
vellemus omnes victorias enarrare, quas Ianienses de Pisanis  
diversis temporibus habuerunt, fatigaremus [calamum] et forte  
legentibus faceremus fastidium et auditorum gravaremus auditum.  
et ideo qui ista scire desiderat, cronicas communis Iane  
legat et ibi inveniet omnia diligentius exarata. unum tamen  
opus victoriosum, quod nostris temporibus accidit, nolumus sub[Page 95]

silentio preterire. anno quidem Domini .Mo.CCo. .LXXXIIo.  
Pisani galeas .LXXII. et alia ligna plura armaverunt ut Riperiam  
Iane percurrent et dampna multa inferrent. Ianienses  
vero contra eos galeas .LXXXVI. viriliter armaverunt, in  
quibus dominus Obertus Aurie, qui tunc erat capitaneus communis  
Iane, fuit admiratus constitutus. triginta autem .VI.  
istarum galearum per dies plures iam armate fuerant, in  
quibus dominus Benedictus fuerat admiratus constitutus,  
qui contra Pisanos in Sardiniam fuerat profectus. et ecce cum suo  
stolo supervenit et stolo domini capitanei se coniunxit et cum galee  
Ianiensem galeas Pisanorum super portum invenissent  
Pisanum, eas potenter invadunt, ita quod .XXXIII. galeas  
accepérunt, quibusdam alijs in mari demersis. quanta autem  
strages et occisio hominum Pisanorum ibi fuerit, compassio  
esset referre et stupor audire. numerus autem captivorum et  
occisorum ad .x. milia et ultra dicitur ascendiisse. Ianienses igitur  
ex tali Victoria nullam pompam nec vanagloriam ostenderunt,  
Dei magnalia laudaverunt, qui fecit mirabilia magna  
solus. de civitate Venetorum hoc dicendum est, quod[Page 96]

olim ipsi Veneti Ianiensibus dampna plurima intulerunt.  
causa autem fuit quia cives nostri, qui tunc temporis erant minus  
considerantes provide, super galeas suas ponebant gentem  
Lombardicam, artis nautice insciam et marinis prelijs  
inexpertam. et ideo, sicut ad remigandum indocti erant,  
sic ad pugnandum erant inutiles et ad omnia opera exequenda  
inexperti et rudes. tales enim melius sciunt terram scindere quam  
equoreas undas sulcare, melius ducere vehicula quam vasa gubernare  
marina. tales languente stomacho et dolore capite circumvento,  
malunt gemitus querulosos emittere, quam ad hostes  
vivaciter proclamare, malunt ymis prostrati incombere,  
quam planctis tremulis languentia corpora sustentare. tales igitur  
homines circa bella pedestria occupentur et ad prelia classica  
nullatenus profiscantur. unusquisque enim homo in illo  
opere amplius valet in quo maius exercitium habet, propter quod  
cives nostri moderni, salubriori utentes consilio, super galeas  
et naves suas gentem non ponunt Lombardicam nec alienigenam,

sed propriam atque domesticam. et ideo postmodum de  
Venetis et Pisanis et eorum galeis plures victorias habuerunt.  
unum autem opus Victoriosum hic ponimus, quod moderno tempore [Page 97]

novimus accidisse. anno quidem Domini .M.CC.LXXXIIIlo.,  
dum quidam mercatores de Ianua ad partes Romanie pergerent,  
intellexerunt quod quedam galee Venetorum naves  
.III. Ianuensium, pretiosis mercibus honistas, ceperunt  
et multa alia gravamina in diversis locis Ianuensibus intulerunt.  
erant autem galee Venetorum numero .XXVIII. et .III.or . ligna,  
que erant .LXXX. remigum. galee vero mercatorum de  
Ianua erant numero .XVIII. et duo ligna .LXXX. remigum.  
dicti etiam mercatores de Ianua, celo patrie animati, onera sua  
apud Peram deposuerunt et nobilem virum dominum Nicholinum  
Spinulam, qui ad imperatorem Grecorum [Page 98]

a communi Ianue sollempnis nuntius fuerat destinatus, in suum  
admiratum eligentes, ad ferendum auxilium fratribus suis profecti  
sunt. prius tamen per duos fratres Minores ad capitaneum galearum  
Venetorum miserunt, rogantes quod cum inter eos  
treuga esset, fratres suos, quos ceperant, cum navibus et rebus  
libere dimitterent. illi superbe nimium respondentes  
et de sua multitudine confidentes, ad expugnandas galeas Ianuensium  
totis viribus properabant. Ianuenses igitur prelum  
declinabant, maxime quia illi in maiori numero satis erant.  
cum igitur Ianuenses cum suis galeis in portu Layacij  
se receperissent et viderent stolum galearum Venetorum contra  
se ad prelum preparare, a portu se elongaverunt et ad se defendendum  
viriliter paraverunt. et ecce accedit incredibilis Victoria et  
nostris temporibus inaudita et de Celo, ut credimus, preparata,  
quia tam paucae galee Ianue contra tantam galearum  
multitudinem Venetorum, fortiter preliantes, omnes debellaverunt  
et .XXV. victoriose ceperunt, que omnes erant onuste mercibus  
pretiosis. reliqua autem fuge presidio evaserunt. in [Page 99]

isto autem facto impletum et quod dixit Iudas Machabeus  
prout in libro Machabeorum habetur. cum enim illi  
qui erant ex parte Iude essent pauci et hostes essent multi, volens  
Iudas supradictos suos adiuvare, dixit eis: "Facile est concludi  
multos in manibus paucorum nec est differentia in conspectu  
Dei celi liberare in multis vel in paucis, quia non in multitudine  
exercitus Victoria belli, sed de celo est fortitudo. ipsi  
veniunt ad nos in multitudine contumaci et superba ut disperdant  
nos; nos vero pugnabimus pro animabus nostris, et ipse  
Dominus conteret eos ante faciem nostram". ista autem verba,  
que dicta fuerunt de illo prelio antiquo, dici possunt omnia per  
ordinem de isto prelio moderno. illi erant multi, nostri vero  
pauci. illi veniebant cum contumacia et superbia, nostri stabant  
pro iustitia. illi veniebant ut disperderent et spoliarent, nostri [Page 100]

fortiter stabant ut se defenserent. et ideo facile fuit Deo multos  
in manibus paucorum concludere, quia non est differentia in  
conspectu Dei celi in multis vel in paucis liberare. ceterum ipsi  
Veneti ex supradicta strage tam miserabili, nimio dolore ac rubore  
perfusi, conati sunt tantam suam verecundiam verbis et factis tegere  
et quibusdam fictis coloribus paliare. verbis quidem tegere  
voluerunt, quia ad diversas provincias propinquas et remotas scripsisse  
dicuntur quod iam nolebant in partibus Armenie seu  
Syrie cum Ianuensibus configere, sed volebant eorum fines  
potenter invadere, portum violenter intrare et ipsos triumphaliter  
debellare. factis autem tegere voluerunt, quia nulli Veneti navigare  
debeant, sed omnes ad impugnationem Ianuensium se  
disponant. insuper conati sunt Cathalanos et Siculos precibus  
et promissis contra Ianuenses sibi facere federatos. Trivisinos  
quoque et Paduanos ac Ferrarenses et Cremonenses et ceteros  
iuxta ripam Padi habitantes ceperunt in sui auxilium invocare,  
et nautas et bellatores inde conducere. ceperunt quoque multas  
galeas de novo construere, arma et cetera necessaria  
preparare. vidisses tunc totam civitatem Venetiarum rebus nauticis  
occupari, repleri tumultibus, vociferationibus agitari. nam  
[hic] erat strepitus artificum, ibi fragor armorum, ibi clamor  
irrationabilium populorum. at Ianuenses, talia audientes tonitrua, [Page 101]

ad defensionem viriliter se accingunt, galeas construunt,  
arma preparant et omnia rebus bellicis necessaria diligenti

studio subministrant, non curantes cum aliquibus confederationem facere, nec bellatores sive nautas aliunde conducere, nec auxilium ab aliquibus mendicare, scientes quod per se ipsos sufficientes sunt hostibus resistere, imo de ipsis nobiliter triumphare. fecerunt igitur lanuenses devetum ne aliqui navigent, fecerunt et edictum ut omnes lanuenses, ubicumque sint, lanuam revertantur, quamvis Satis pauci dicuntur fuisse reversi. anno igitur Domini .M.CC.LXXXV. de mense ianuarij nobilem virum dominum Ubertum Aurie admiratum generalem constituunt et ei ordinandi et tractandi omnia huic operi expedientia de consilio credentie plenam potestatem committunt. et quamvis commune et aliqui cives plures haberent galeas,[Page 102]

dictus tamen dominus admiratus de consilio credentie multas alias galeas de novo statuit construendas, ita quod in universo habuerunt .CC. et amplius corpora galearum.  
Dum ista sic fierent, ecce ad aures summi pontificis domini Bonifatij .VIII., fama celebri deferente, pervenit quod lanuenses et Veneti grandes faciunt apparatus, ut mutuo se in mari inveniant, vires suas alternatim exerceant et mutua decertatione confligant. summus autem pontifex predictus, videns istarum duarum civitatum discordiam ad magnam totius Christianitatis cedere posse iacturam et maxime ad impedimentum negotij Terre sancte, volens tantis obviare periculis, ad utramque civitatem legatos sollempnes transmisit, mandans per litteras apostolicas ut sollempnes ambaxatores, habentes plenum mandatum, ad suam presentiam mittere non postponant. nam lanuam episcopum Messanensem misit, archiepiscopum vero Reginum Venetas, destinavit. qui utique ad civitates sibi iniunctas de mense martij pervenerunt, michi quoque mandavit ut pro ipso negotio ad suam presentiam festinarem. episcopum vero Venetorum, qui ad curiam iverat alia de causa, summus pontifex ista de causa retinuit. per eosdem etiam legatos inter utramque X civitatem treugas indixit, quas usque ad festum sancti Iohannis Baptiste proximum venturum observandas mandavit sub pena scilicet excommunicationis, quam ipso facto incurrere voluit transgressores.[Page 103]

electi sunt igitur in ambaxatores duo nobiles, scilicet dominus Luchetus Gattiluxius et dominus Porchettus Salvaticus et duo iurisperiti, scilicet dominus Manuel Osbergerius et dominus Petrus de Ugolino. cum igitur ad summi pontificis venissemus presentiam, longus de pace seu treuga hinc inde habitus est tractatus. ibi enim moram .c. dierum et amplius contraximus, tum quia summus pontifex circa pacem illustris regis Sicilie et Siculorum fuerat utiliter occupatus, tum quia[Page 104]

duo de ambaxiatoribus Venetorum Venetas sunt reversi, qui tandem post expectationem diutinam ad curiam redierunt. et quoniam dicti ambaxatores sciebant de armamento tam inclito, tam nobili, tam potenti, quod videbantur facere lanuenses, ideo per quosdam modos latebrosos et occultos totis viribus laborabant ut ipsum armamentum per summum pontificem deberet totaliter impediri, modo summum pontificem inducendo ut tam Venetas quam lanuensibus deberet sub pena excommunicationis precipere quod armamentum dimitterent et sibi mutuo cum galeis obviam non exirent, modo ipsi summo pontifici suadendo ut treugas iam finitas usque ad festum sancti Michaelis auctoritas Apostolica prolongaret, ut sic armamentum lanuensium impeditret. sed quoniam dicit Salomon frustra iacitur rete ante oculos pennatorum, ideo ambaxatores lanuensium oculati[Page 105]

et pennati, idest sapientes et cauti eorum latebras detegebant et eorum conatus ad nichilum redigebant. at lanuenses videntes tam diu negotium in curia Romana differri et nichil ad effectum deduci; considerantes etiam quod treue terminus per summum pontificem assignatus iam erat elapsus, ideo ad complendum et perficiendum suum armamentum viriliter processerunt, comitarias assignantes, vexilla destribuentes, stantarium erigentes et supersigna fieri facientes, ita quod octo milia supersigna, tam serica quam deaurata, fuisse dicuntur in brevi tempore preparata. vidisses tunc totam civitatem lanue iubilo inmenso repleri et totam Riperiam ad gaudium et letitiam commoveri. nam alij incedebant sericis floreis insigniti, alij supersignis deauratis et sericis decorati, alij armis fulgentibus adornati, omnes autem nimia exultatione repleti. sic enim omnes

ad istam pugnam properabant, tanquam si ad spolia dividenda  
pergerent vel ad thesauros inveniendos currerent vel ad nuptias  
properarent. multi quoque, qui remanere poterant, ulro se offerebant  
ac spontanei ibant, imo retineri non poterant. sicut enim  
homines consueverunt cogi ire ad preium, sic istos quodammodo[Page 106]

cogi oportebat ut remanerent, a prelio magis freno trahendi  
indigentes quam stimulo provocandi. et, quod erat mirabile,  
filius non erat contentus de patre, nec pater de filio, nec frater  
de fratre. sed filius patrem, pater filium, frater fratrem alacritate  
mirabili sequebantur. in illo quoque stolo sive armamento tam  
inclito fuit tota nobilitas civitatis, totus flos iuventutis, tota electio popularis,  
tota Riperie fortitudo. utinam sic essemus prompti ad  
Christi vindicandas iniurias, sicut sumus ad nostras. utinam tam  
gloriosum armamentum fuisset in recuperationem Terre sancte  
conversum, quia omnes hostes fidei Christiane, qui tam magnificum  
stolum conspicerent, vires perderent, territi fugerent et colla  
submitterent. sed spero in Domino quod alias faciemus pro  
Christo quod modo fecisse videmur pro mundo. quid multis  
morum? a die .xv. iulij usque ad diem .xvm. augusti galee  
.cc. fuerunt armate cum magna gloria, letitia et triumpho. placuit  
tamen domino admirato et sapientibus ut ad galeas .CLXV.  
reducerentur, quod et factum est, ita tamen quod nulla galea  
fuit, que ad minus .ccxx. armatos homines, ut communiter dicitur,  
non haberet; aliisque tamen .CCL., aliquando vero .CCC. habuisse  
dicuntur. quicumque autem nobilis viros de civitate  
vel de Riperia super suam galeam habere poterat, expensis et  
sumptibus non parcebat. in illo igitur stolo tam magnifico fuisse  
dicuntur .XLV. milia hominum bellatorum. tot etiam homines  
in civitate et Riperia remanserunt, quod, si oportuisset, adhuc[Page 107]

.XL. galeas armare nobiliter potuissent, custodibus sufficientibus  
in civitate et Riperia derelictis. verum quoniam lanuenses  
intellexerunt quod Veneti multa verba ampulosa et iactantie  
plena protulerant et per diversas regiones tam propinquas quam  
longinquas scripserant, se scilicet usque ad portum lanue  
venturos esse cum magno exercitu galearum ut ibi potentiam  
suam ostenderent et iura pariter demonstrarent, ideo ex parte potestatis  
et capitanei et sapientum Credentie duci Venitiarum  
littere fuerunt directe, inter cetera continentibus quod indecens  
videretur si lanuenses permitterent exercitum galearum  
Venetorum tam longas semitas marinas percurrere, tantas equoreas  
undas sulcare, tantam in navigando fatigationem assumere ut  
scilicet usque ad portum lanuensem navigando venirent. et ideo  
notum eis faciunt quod dominus Obertus Aurie admiratus  
cum stolo suo galearum usque in Siciliam obviam eis venit ut ibi  
eos aut inveniat presentes [aut expectet absentes] et tunc ipsi  
Veneti iura sua proferrent, et lanuenses similiter iura sua producerent,  
et Deus, qui est secretorum cognitor et virium omnium sapientissimus  
ponderator, utriusque partis iura in iudicij sui  
statera vibrabit et unicuique ius suum tribuet, prout iustum esse  
prospexerit, et iustitia flagitabit. missis igitur litteris supradictis,  
recessit de partibus lanue cum suo stolo dominus admiratus  
ad partes Sicilie profecturus, habens secum salutis nostre signum  
salutiferum triumphale, scilicet vere Crucis vexillum. intra[Page 108]

hec de curia, infecto negotio, redivimus et totum stolum  
galearum iam de lanua et de finibus recessisse invenimus. cum  
igitur dominus admiratus ad partes Sicilie advenisset, vehementer  
cum toto suo exercitu doluit quod ibi Venetos non invenit. quocirca  
tam in portu Messano, quam alibi per dies .XVIII.  
eos expectavit, omnibus Siculis admirantibus et pre admiratione  
stupentibus et pre stupore quodammodo a se ipsis deficientibus de  
stolo galearum tam magnifico, tam inclito, tam potenti. Sed  
certe satis et diu expectare potuisset, quia de stolo Venetorum non  
erat vox aliqua neque sensus. qui enim iactaverant se venturos  
esse usque ad partes remotas lanuensem, venire noluerunt  
usque ad partes viciniores Siculorum. et qui dixerant quod portum  
lanue potenter intrarent, ipsi intra suum portum se viliter incluserunt.  
lanuenses autem adhuc ulterius processissent  
et gulfi Venetorum intrassent, nisi quia iam tempus venerat  
autumnale. et quoniam tunc sepe fieri consuevit temporis mutatio,  
ideo periculosa fuisset tam longa navigatio, propter quod  
dominus admiratus cum stolo ad propria cum gloria multa  
reversus est et a toto populo et clero et a nobis gloriose susceptus,

precedente salutifero Crucis vexillo, cum immenso gaudio  
et triumpho. ideoque ipsis Venetis convenire potest verbum  
sapientissimum Salomonis dicentis: "Nubes, ventus et pluvie".[Page 109]

non sequentes, vir gloriosus et promissa non implens".  
sepe enim videmus quod nubes, magna emitentes tonitrua,  
magnas pluvias comminantur et tamen sepe non faciunt quod minantur.  
sepe etiam aliqui venti minantur se pluvias velle adducere  
et tamen sepius non adducunt. eodem modo sunt multi  
vanagloriosi, qui habent verba magnifica, sed opera fere nulla.  
ideo de talibus bene dicitur: nubes, ventus et pluvie non sequentes,  
vir gloriosus, id est vanagloriosus, et promissa non implens. istud  
per omnia in ipsis Venetis verificatum esse videmus. fecerunt  
quidem multa tonitrua, id est verba comminatoria, emiserunt  
ventos, id est verba ventosa, habuerunt quoque ampla promissa,  
sed tamen non emiserunt pluvias, quia non habuerunt aliqua opera  
virtuosa. et ideo de eis bene dicitur: "Nubes et ventus et pluvie  
non sequentes, vir gloriosus, id est vanagloriosus, et promissa  
non implens". capitula .Vle. partis.[Page 110]

Sequitur sexta pars, in qua agitur de seculari regimine civitatis  
ianue. et ista pars habet tria capitula. in primo capitulo dicitur[Page 111]

quod Ianuensis civitas fuit diverso regimine gubernata. in  
secundo dicitur quod tutius est regi ab uno, quam a multis, nisi[Page 112]

ipsi multi sint in bono uniti. in tertio ponitur periculum quod  
provenit ex regimine malo et utilitas que provenit ex regimine[Page 113]

bono. quod civitas Ianue fuit diverso regimine gubernata.  
[capitulum primum].[Page 114]

Civitas Ianuensis secundum temporum varietatem habuit rectorum  
diversitatem. nam primo eam rexerunt consules, qui de  
ipsa civitate annis singulis eligebantur et multa facta virtuosa eorum  
temporibus fuerunt peracta. duravit autem regimen consulum  
usque ad annos Domini .M.C.LXXXX., verumtamen adhuc interpollatim  
regebatur civitas modo per consules modo per potestates,  
et hoc usque ad annos Domini .M.CC.XVI. ab illo enim  
tempore citra non fuerunt aliqui consules de communi, sed semper  
fuerunt de foris potestates; postea vero recta fuit civitas per potestates  
et primus potestas fuit Manegoldus civis Brisiensis. eligebantur  
etiam annis singulis .VIII. nobiles ut potestati assisterent  
et de eorum consilio potestas se regeret. duravit autem regimen  
potestatum usque ad annos Domini .M.CC.LXX. . ponere autem nomina  
potestatum et consulum nimis esset prolixum, sed qui hoc  
scire desiderat, in cronica Communis ista requirat. post  
hec autem electi sunt capitanei, videlicet nobiles viri dominus  
Obertus Spinula et dominus Obertus Aurie. electus quoque  
est abbas et antiani. quamvis enim annis singulis potestas  
aliquis eligeretur, penes tamen capitaneos merum et mixtum  
imperium residebat. duravit autem regimen capitaneorum[Page 115]

usque ad annos Domini .M.CC.LXXXI. . tandem rediit regimen  
ad potestates. capitaneus tamen de foris eligitur, abbas  
vero et antiani in suo gradu et regimine perseverant, et istud  
regimen modo currit. utrum autem regimen ipsum mutandum[Page 116]

sit ignoramus; rogamus tamen Deum ut, si aliquando  
mutari debuerit, semper in melius permuteatur. sed nichil obest  
regi per consules vel per potestates vel capitaneos vel  
abbates, dummodo res publica bene regatur. super hoc autem  
ponere possumus tale exemplum, quod etiam sanctus Augustinus  
in parte tangit. si enim aliquis homo habet tres claves alicuius  
porte sive ianue, una quarum est aurea, alia argentea, tertia  
ligneae, respiciendo quidem ad pretiositatem materie,  
melius valet clavis aurea et argentea, quam lignaea; sed [si] lignaea  
melius aperit ianuam, melius valebit lignaea, quam aurea et  
argentea, quantum scilicet ad officium aperiendi. ponamus igitur  
tres homines, quorum unus multum est potens, iste est quasi  
clavis aurea; alius multum est dives vel sapiens, iste est quasi  
clavis argentea; alius est pauper et conditionis infime, iste  
est quasi clavis lignaea. certum est autem quod, quantum ad  
extimationem mundi, plus valent et plus extimantur potentes et  
divites, quam pauperes. sed si pauper melius et iustius rempublicam

regit quam potens vel dives, iste debet melior reputari,  
quantum scilicet ad officium presidendi. de hoc habemus  
exemplum in veteri Testamento. ibi quidem duo erant, unus[Page 117]

potens et dives et rex, scilicet Saul, qui erat quasi clavis  
aurea; alius pauper et pastor ovium, scilicet David, qui erat  
quasi clavis lignea. et tamen Deus, videns quod Saul rempublicam  
non bene regebat et sciens quod David, pauper et pastor  
melius rempublicam gubernatur erat, Saulem regem abiecit et  
David pauperem in regimine collocavit. per quod datur intelligi  
quod nichil obest qualis conditionis sit rector, dummodo rempublicam  
iuste et laudabiliter regat. eodem modo dicimus quod  
nichil obest per quoscumque civitas nostra regatur, dummodo bene  
et iuste regatur. si enim melius regitur per consules quam per  
potestates, meliores sunt consules. si vero melius regitur per potestates  
quam per consules, melius valent potestates. si vero melius  
et iustius per capitaneos regitur et abbates, melius valent isti  
quam illi. ille enim semper ad regimen magis est preficiendus,  
qui ad regendum magis invenitur ydoneus. in rectore non  
est attendenda persone qualitas, sed virtutum probitas, iustitiae  
equitas, matura discretio cordis et animi magnitudo. quod  
tutius est regi ab uno quam a multis, nisi ipsi multi sint in bono  
uniti. capitulo .2.

Rectores et magistratus sunt utiles et necessarij ad rempublicam  
gubernandam. sicut enim dicit beatus Petrus apostolus,  
positi sunt a Deo ad vindictam malefactorum, laudem vero  
bonorum. tutius tamen est regi ab uno quam a multis,[Page 118]

ex eo quod multi rectores sepe fiunt discordes et discordia rectorum  
est ad conturbationem maximam subditorum. sicut enim  
ventis contrariantibus mare concutitur, sic rectoribus discordantibus  
populus dissipatur. ideo conqueritur Dominus per Prophetam,  
dicens: "Pastores multi demoliti sunt vineam meam". tutius  
est igitur regimen unius quam multorum. ideo Dominus pro  
magno munere per Prophetam populo suo promisit, dicens  
quod ponetur sibi caput unum et quod princeps unus erit  
in medio eorum. istud autem per multa exempla in naturalibus  
ostendere possumus. de hoc enim habemus exemplum in mundo,  
quia totus mundus regitur ab uno opifice. sicut enim solus Deus  
omnia creavit, sic et ipse solus omnia gubernat et regit. de  
hoc etiam exemplum habemus in corpore humano, quia omnia  
membra corporis reguntur ab uno capite. si enim in corpore essent  
duo capita, tunc esset magnum scisma et divisio inter membra.  
de hoc iterum exemplum habemus in anima, quia omnes vires et  
potentie anime ab una ratione reguntur. omnes enim cogitationes,  
intentiones et voluntates ratio tanquam rex advocat et prout  
expedit ordinat. de hoc etiam exemplum habemus in apibus,  
que reguntur ab uno rege. omnes enim uni regi obedient. nam  
ipso egrediente egrediuntur, ipso redeunte redeunt et ipso stante  
quiescent. iterum exemplum habemus in numeris, omnes  
enim numeri derivantur ab uno. cum igitur in naturalibus  
inveniamus quod omnia disponuntur ab uno, debet etiam esse  
in hominibus ut scilicet omnes regantur ab uno, maxime cum ars  
naturam debeat imitari. verum est tamen quod, quando[Page 119]

sunt multi rectores, qui sunt concordes et in iustitia uniti et  
in republica conservanda voluntarij, per tales quidem, quamvis  
sint multi, potest respublica salubriter gubernari. et ideo optandum  
est quod ubi sunt multi rectores, semper ad invicem sint  
concordes, nisi forte ad iniustitiam declinarent, tunc enim potius  
esset optandum quod inveniantur discordes. sicut enim  
bonum unitum est fortius, sic malum divisum est debilius. videmus  
enim quod, quando sunt multi qui navem vel aliquam rem  
ponderosam trahunt, si vires eorum uniuntur, sunt ad trahendum  
fortiores; si vero vires eorum dividuntur, sunt debiliores. per  
istum modum etiam est dicendum quod, quando alicubi sunt  
multi boni rectores, si uniuntur, erunt ad conservandam  
rempublicam fortiores; si vero sunt mali et dividuntur, erunt  
ad exercendas iniusticias debiliores. et ideo, ut predictum est,  
sicut preferendum est ut boni rectores sint uniti, sic optandum  
est ut mali rectores sint divisi. inter bonos igitur rectores  
et quoscumque alios homines [bonos] concordia est bona, discordia  
mala. inter malos vero, [e] converso, concordia mala  
et discordia est bona. ista autem, que diximus, per testimonia  
sancte Scripture comprobemus. quod enim concordia inter

bonos sit bona dicitur in Ecclesiastico: "In tribus bene placitum est spiritui meo, que sunt probata coram Deo et hominibus:[Page 120]

concordia fratrum, amor proximorum et vir et mulier bene sibi consentientes". multum enim placet Deo et hominibus quando aliqui habent concordiam exterius in opere et amorem interius in corde. et ideo dicit: "concordia fratrum et amor proximorum". et quando etiam in rebus domesticis bene convenient in pacifica conversatione, et ideo subdit: "et vir et mulier bene sibi consentientes". quod vero discordia inter bonos sit mala, habetur ex verbis Apostoli in epistola Ad Corinthios, ubi suos discipulos reprehendit de quadam contentione, quam habebant ad invicem occasione baptismi. quidam enim dicebant quod baptismus suus erat melior, quia baptiçati, erant a Petro. alij quod suus erat melior, quia baptiçati erant a Paulo. alij quod suus erat melior, quia baptiçati erant ab Appollo. Apostolus autem eos reprehendit de tali contentione, ostendens quod Petrus et Paulus poterant lavare exterius, sed Christus solus baptiçat interius, dum culpam remittit et gratiam infundit. unde Apostolus de tali contentione eos reprehendit dicens: "Significatum est mihi de vobis, fratres mei, quod contentiones sunt inter vos. hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit: "Ego quidem sum Pauli, ego autem Appollii, ego vero Cephe idest Petri". nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptiçati estis?". multum[Page 121]

igitur displicet Deo quando discordia ponitur inter bonos. unde in Ecclesiastico dicitur quod Deus odit illum qui seminat inter fratres discordiam. istud est officium dyaboli, qui in medio tritici super seminat çicaniam, dum inter bonos ponit divisiones et scandala. concordia vero inter malos est mala. malum est enim quando aliqui fures sunt concordes ad furandum, raptore ad rapiendum, occisores ad occidendum. talium concordiam et pacem Propheta detestatur dicens: "Çelavi super iniquos, pacem peccatorum videns". discordia vero inter malos est bona sicut patet ex libro Actuum Apostolorum, ubi dicitur quod inter eos Iudeos due erant secte: una Pharisaeorum, qui confitebantur resurrectionem, alia Saduceorum, qui negabant resurrectionem. quamvis autem isti in hoc essent divisi, in persecutionem tamen Pauli omnes erant uniti. isti igitur omnes Paulum ceperunt, eum occidere cupientes. Paulus vero, volens inter eos divisiones ponere, ut sic evadere posset, dixit magna voce quod ipse resurrectionem credebat et predicabat et pro tali fide captus erat. quod audientes Pharysei, qui resurrectionem credebant, dixerunt quod nolebant [ut Paulus] mali aliquid pateretur. Saducei autem dicebant quod moreretur. unde inter eos magna divisio est exorta, et sic Paulus de manibus eorum evasit. ista divisio fuit bona, quia nisi Paulus eos taliter[Page 122]

divisisset, ipsum morti tradidissent. utile est igitur quando rectores mali sunt divisi, quia tunc ad invicem in malis processibus se impediunt et sibi mutuo contradicunt et ex tali contradictione multa mala intermittuntur, que quidem fierent si ipsi essent in malo concordes. quod magnum periculum provenit ex regimine malo et magna utilitas ex regimine bono. [capitulum tertium].

Tirannus, non rector, est dicendus qui propriam utilitatem semper appetit et communem utilitatem populi non requirit, qui rempublicam non procurat. iste secundum diversas passiones vitiorum, quibus subiacet, populum sibi subiectum affliget. si enim fauibus avaricie inardescit, bona subditorum rapiet. unde dicit Salomon: "Rex iustus erigit terram, vir avarus destruit eam". si ignibus iracundie estuat, pro nichilo innocentum sanguinem fundet. unde Dominus per Eçechielem dicit: "Principes eius in medio eius, quasi lupi rapientes predam ad effundendum sanguinem". si vero livore invidie torquetur, subditorum virtutibus emulatur. non enim patiuntur tyronni ut sub eis sint aliqui virtuosi, suspicantes omnes subditorum excellentiam vel virtutem ad suam posse cedere dejectionem. Ideo, si sunt aliqui homines virtuosi, virtutes suas celant, ne ipsi tyronni de ipsis malam suspicionem concipient. ideo dixit Salomon: "Cum surrexerint impij, abscondentur homines".[Page 123]

abscondunt quidem suas virtutes homines virtuosi, ne habeantur suspecti. tales tyronni non sunt rectores, sed bestie

feroces; bestia enim dicitur, quasi vastia a vastando.  
sic et tales sunt bestie, idest vastie, quia subditos suos  
vstant. nam vstant eos in fama, quia famam ipsorum  
pollunt, vstant in terrena substantia, quia omnia bona sua  
rapiunt; vstant in persona, quia sepe eos personaliter opprimunt,  
vulnerant et occidunt. de crudelitate istarum bestiarum  
dicit Salomon: "Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius  
super populum pauperem". ne igitur rector in superbiam  
et tyrannidem convertatur, debet recognoscere se esse hominem  
mortalem, cuius pena tanto erit gravior, quanto ad irrogandas iniurias  
fuerit crudelior. unde dicitur in libro Sapientie:  
"Fortioribus fortior instat cruciatio et potentes potenter tormenta  
patientur". talis igitur consideratio rectorem tenebit in timore[Page 124]

et conservabit in humilitate. unde Romani, quando aliqui consules  
redibant victores, tria eis faciebant, que erant in honorem  
et tria que erant ad humilitatis conservationem. sicut refert  
Tulius, primus honor erat quia totus populus Romanus sibi cum  
magna letitia occurrebat. secundus quia omnes captivi,  
quos ipse victor ceperat, eius currum, vinctis post tergum  
manibus, sequebantur. tertius erat quia ipsum victorem tunica  
lovis inductus et .IIIlor. equi albi currum usque ad  
Capitolium reducebant. ne vero ex acquisita Victoria et impenso  
honore supra se nimis elevaretur, ideo eius victoriā et  
honorem tripliciter temperabant. primo, quia unus homo infime  
conditionis precisa veste induitus secum in curru ponebatur,  
ut cuilibet, quantumcumque infimo, spes daretur perveniendi  
ad talē honorem, si probitas mereretur. secundo, quia ille  
homo ipsum victorem colaphis cedebat dicens: "Cognosce  
te ipsum et scito te esse mortalem". tertio, quia quilibet  
illo die dicere sibi poterat obprobria, que volebat, ut  
sic humiliatus non efficiatur elatus. ex regimine vero boni[Page 125]

rectoris magna utilitas provenit. talis enim rector iustitiam fovet,  
rem publicam promovet, propria bona negligit, bona comunia  
semper intendit. ideo talis rector potest stomaco merito  
comparari. stomachus enim cibum receptum et digestum sibi  
non retinet, sed ad membra vegetanda transmittit. sic etiam  
bonus rector, si aliquando aliqua bona procuranda emergunt, ea  
sibi non attribuit, sed ad comunem utilitatem subditorum ea  
convertit. sed notandum est quod, si stomachus bene fuerit ordinatus,  
tunc cibos receptos bene digerit et digestos ad singula  
membra vegetanda transmittit et sic tota massa corporis vegetatur  
et regitur. si vero stomachus fuerit languidus, tunc nec cibos  
receptos digerit, nec ad membra transmittit, et corpus  
totum debilitatur et cadit. eodem modo, si magistratus et ceteri  
consiliarij bene fuerint ordinati, tunc omnia, que agenda sunt,  
digerunt, idest diligenti discussione inquirunt, et sic digesta et  
discussa ad subditos servanda transmittunt et per talem  
modum tota res publica in suo statu servatur et regitur. si  
autem ipsi rectores fuerint languidi et vitijs resoluti et proprijs  
utilitatibus tantum intenti, tunc nec aliqua bona comunia  
agenda discutiunt nec discussa statuunt, sed omnia communia negligunt  
et parvipendunt. et sic tota res publica destruitur, dum  
ab ipsis rectoribus non celatur, quod autem per stomachum  
sive ventrem intelligantur ipsi rectores urbium et [per] membra[Page 126]

subditi ostendit Titus Livius in libro primo. dicit enim  
quod inter populum Romanum et patres Urbis, idest senatores,  
maxima dissensio est exorta. dicebat enim populus quod ipsi  
pondus diei et estus sustinebant, laboribus et periculis expositi erant,  
per mundum bellando discurrebant, rem publicam defendebant.  
patres autem domi stabant quieti, nullis laboribus expositi,  
delitijs vacantes, prelia nulla gerentes. in tantum autem crevit  
ipsa turbatio, quod populus de Urbe exivit et in quodam monte  
se collocavit. tunc missus est ad eos Menenius Agripa  
ut eos reconciliaret. dictus igitur Menenius, inter eos contionatus,  
dixit quod eo tempore, quo membra loquebantur,  
contra ventrem conspiraverunt. dicebant enim membra quod  
omnia victualia, que cum labore maximo acquirebant, venter  
consumebat et nullum laborem in acquirendo sustinebat, sed  
in requie semper stabat et cibis et voluptatibus vacabat. ideoque  
preceperunt manibus ne aliquem cibum in os mitterent, preceperunt dentibus  
ne aliquem cibum masticarent. cum igitur per aliquos

dies corpus sine cibo mansisset, ceperunt menbra debilitari et totum corpus ad extremam tabem duci. quod videntes, menbra revocaverunt edictum, videntes quod venter sibi, cibum non retinet; sed ipsum digestum transmittit ad venas, unde sanguis gignitur; transmittit ad menbra, unde vegetantur; transmittit ad totum corpus, unde sustentatur et regitur.[Page 127]

postmodum autem supradictus Menenius istam parabolam adaptavit, dicens quod senatus erat venter sive stomachus, populus autem sunt menbra; negotia enim rei publice et cetera utilia senatus mature discutit et quodammodo digerit, et ea sic discussa et digesta ad populum transmittit, et sic membra dissolvuntur, si a stomaco cibus non derivatur. sic res publica tota destruitur, si maturo consilio senatorum non confovetur. et sic per talem metaphoram supradictus Menenius populum Romanum pacificavit et ad Urbem reduxit. capitula septime partis.  
Sequitur .VIIa. pars, in qua agitur quales debent esse rectores. et ista pars habet .IIIlor. capitula. in primo capitulo dicitur quod ipsi rectores debent esse potentes et magnanimes, ut sine timore iudicent. in secundo capitulo dicitur quod debent esse Deum timentes. in tertio capitulo dicitur quod debent habere omnem veritatem. in .III. capitulo dicitur quod debent odire omnem avaritiam et cupiditatem. quod rectores debent esse potentes et magnanimes ut sine timore iudicent. [capitulum primum].

Sacra Scriptura est omnium scientiarum regina, cui cetere scientie tanquam famule et pediseque famulantur, ita ut quelibet scientia in tantum approbatur, in quantum ipsius Sacre Scripture vestigia imitatur. est etiam omnium regum, principum[Page 128]

et rectorum magistra, dans omnibus certas regulas, per quas ad sua officia dirigantur. ideoque rectores civitatum et populorum informat quales debent esse in officio presidendi. istud autem notatur in Exodo, ubi cognatus Moysi sibi consuluit dicens: "Elige viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas et qui oderint avaritiam, et constitue ex quibus eis tribunos et centuriones et quinquagenarios et decanos, qui iudicent populum omni tempore". ex quibus verbis habetur quod ipsi rectores .IIIlor. debent servare, si volunt iuste et modo debito iudicare. debent enim esse potentes, Deum timentes, habere omnem veritatem et odire omnem avaritiam et cupiditatem. debent igitur esse potentes et magnanimes, ut sine aliquo timore iudicent et in suo iudicio nullius personam formident. ideo dicitur in Ecclesiastico: "Noli velle fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis". et in eodem libro dicitur de quodam magno iudice Dei. in diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum. hoc est contra multos iudices et rectores pusillanimes et timidos, qui non audent iudicare nec punire potentes nec divites, sed tantum simplices et pauperes. ideo Dominus dicit in Iohanne: "Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate". ille iudicat secundum faciem, qui iudicat non respiciendo ad merita cause, sed ad faciem persone. tales Propheta reprehendit dicens: "Facies peccatorum sumitis". contra tales dicit Salomon:[Page 129]

"Pondus et pondus abominatio est apud Deum". tales enim rectores et iudices timidi et iniusti habent pondus et pondus, idest sententiam levem et gravem, ita quod levem sententiam dant contra divites et potentes, qui plus offenderunt, et graviorem contra pauperes, qui minus deliquerunt. unde dicit Valerius quod Anacharsius philosophus leges et statuta hominum assimilabat telis aranearum. sicut enim parva animalia per illas telas transeuntia capiuntur et occiduntur, animalia vero grossiora illas telas frangunt et libere transeunt; sic etiam humanis legibus pauperes astringuntur et puniuntur, divites vero et potentes illis legibus non alligantur, et tamen tam parvi quam magni deberent legibus equaliter subiacere. ideo dicitur in Ecclesiastico: "Iustifica pusillum et magnum similiter". et in libro Sapientie dicitur de universali iudice: "Quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et equaliter est sibi cura de omnibus". debent igitur esse rectores magnanimes, non molles nec pusillanimes circa vitia ulciscenda. quia, sicut dicit Salomon, qui mollis et dissolutus est in suo opere frater[Page 130]

est sua opera dissipantis, differentia vero est inter molle

et durum; nam molle est quod statim cedit, durum vero est  
quod nunquam cedit. quidam rectores sunt nimis molles, quia  
ad quodlibet verbum durum mox rectitudinem iustitie deserunt.  
alij sunt nimis duri, quia ad nullam compassionem flecti volunt.  
utrumque igitur vitium est in rectore et nimis esse molle  
et nimis esse durum. et ideo rector nec debet esse mollis  
nec durus, sed medie temperatus. ille est mollis, qui nimis  
est remissus. ille est durus, qui nimis est severus. ille est medie  
temperatus, qui cum rigore iustitie miscet dulcedinem misericordie.  
in huius significationem, quando Salomon debuit inungi  
in regem, David, pater suus, non fecit eum ponere super equum  
nec super asinum, sed super mulum. nam in equo ferocitas, in  
asinu mansuetudo designatur. mulus autem cum ferocitate equina  
habet mansuetudinem asinianam. per quod datur intelligi quod  
rector nec debet habere nimiam ferocitatem nec nimiam lenitatem,  
sed cum severitate iustitiae debet miscere lenitatem misericordie.  
ipse enim virtutes, quando declinant ad extrema, vertuntur  
in vitia. iustitia quidem habet duo extrema: unum  
est per modum excessus, scilicet nimia severitas, aliud per  
modum defectus, scilicet nimia remissio. quando igitur iustitia  
declinat vel ad nimiam severitatem vel ad nimiam remissionem,  
est vitium; quando vero tenet medium, est virtus. similiter  
etiam prudentia habet duo extrema: unum est per modum  
excessus, scilicet dolositas, aliud per modum defectus, scilicet  
simplicitas. quando igitur prudentia declinat vel ad dolositatem[Page 131]

vel ad nimiam simplicitatem, tunc est vicium; quando vero tenet  
medium, tunc est virtus. similiter temperantia sive abstinentia  
habet duo extrema: unum est per modum excessus, scilicet gulositas,  
aliud per modum defectus, scilicet attenuatio nimia.  
quando igitur temperantia sive abstinentia declinat vel ad gulositatem  
vel ad nimiam extenuationem, est vitium. quando vero  
tenet medium, est virtus. similiter fortitudo habet duo extrema:  
unum est per modum excessus, scilicet crudelitas, aliud est  
per modum defectus, scilicet pusillanimitas. quando igitur fortitudo  
declinat vel ad crudelitatem vel ad pusillanimitatem, tunc  
est vitium. quando vero tenet medium, est virtus. quod rectores  
debent esse Deum timentes. capitulum .II.  
Oportet ut rector sive iudex Dei timorem observet ad hoc  
ut recte et iuste iudicet. si enim timorem Dei non habuerit,  
sepe ad iniustitiam declinabit. unde legitur in libro Paralipomenon  
quod sanctus losaphat rex constituit iudices terre  
per singula loca, precipiens eis et dicens: "Videte quid faciatis. non  
enim hominis exercetis iudicium, sed Dei et quodcumque  
iudicaveritis, in vos redundabit. sit timor Domini vobiscum  
et cum diligentia cuncta facite. non est enim apud Dominum  
nostrum iniquitas nec acceptio personarum nec cupido  
munerum". ecce quam salubriter iste rex sanctus iudices suos  
exortabatur. ut scilicet in omnibus iudicijs, que facerent, semper  
Dei timorem haberent. timor enim Dei est quoddam vinculum,  
quo ligantur iudices orbis terrarum ne effluant ad aliquod[Page 132]

illicitum. qui igitur non habet hoc vinculum, preceps est  
ad omne prohibitum. iudex namque sive rector, si vult causas  
iuste et debite iudicare, oportet quod in principio cause habeat  
magnum sapientiam ad inquirendum. in medio cause habeat discretionem  
maturam ad ponderandum. in fine cause habeat  
magnum constantiam ad sententiandum. ista autem omnia timor  
Domini administrat. debet namque iudex a principio cause  
habere magnum sapientiam ad examinandum, quia omnes culpas  
sapienter debet inquirere et examinare, ut possit veritatem  
invenire, sicut fecit Daniel propheta, qui illos senes malitiosos,  
qui Susannam infamaverant, sapienter examinavit et quia  
in loco discordaverant, sapienter eos convicti. istam autem  
sapientiam timor Domini administrat. quia, sicut dicit Salomon,  
principium sapientie est timor Domini. talem sapientiam ad  
examinandum habebat sanctus lob, qui dicebat: "Causam  
quam nesciebam, diligentissime investigabam". ille diligentissime  
examinat, qui sollicite inquirit et nichil neglit neque  
omittit. istam etiam talem sollicitudinem timor Dei facit.  
quia, sicut dicitur in Ecclesiastico, qui timet Dominum,  
nichil neglit. debet etiam iudex in medio cause habere discretionem  
maturam ad ponderandum. quia postquam culpas inquisivit  
et invenit, debet eas in statera sue discretionis et iudicij[Page 133]

ponderare et videre que sint graviores et que sint leviores. graviores debet punire graviter et leviores leviter, sicut dicit Prophet: "Mendaces filij hominum in stateris, ut decipient ipsi de vanitate in id ipsum". illi iudices sunt mendaces in stateris, qui sunt inequaes in iudiciis ponderandis, sed timor Domini super quamlibet partem statere debet se superponere. et tunc statera, prout debet, leviter vel graviter ponderabit. quia ubi erunt maiora pondera, idest maiora delicta, gravius; ubi vero erunt leviora, levius ponderabit. ideo dicitur in Ecclesiastico: "Timor Domini super omnia se superposuit". quando enim timor Dei non superponit se in tali statera, tunc ista statera efficitur dolosa. de qua dicit Salomon: "Statera dolosa abhominatio est apud Dominum, pondus equum voluntas eius". tunc statera est dolosa quando ea, que sunt levia, extimantur gravia et ea, que sunt gravia, extimantur levia. tunc pondus est equum quando est rectum et iustum iudicium. ab isto autem doloso et malo pondere timor Domini facit nos declinare. unde dicit Salomon: "Per timorem Domini declinat omnis homo a malo". iudex etiam in fine cause debet habere magnam constantiam ad sententiandum, quia non debet dimittere propter [Page 134]

aliquorum timorem quin ipse sententiam proferat et executioni demandet, et istam talem constantiam facit timor Dei, unde dicit Salomon: "Iustus, quasi leo confidens, absque timore erit". quantumcumque enim iudex sapienter inquisivisset et mature ponderasset, si tamen in sententiando timidus esset, omnia precedentia pro nichilo haberentur. et ideo, si timor Dei non affuerit, totum iudicium subversum erit. unde dicitur in Ecclesiastico: "Nisi in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua" idest tota operacio tua. si igitur rector sive iudex sine timore Dei existsens aut non sapienter investigat aut non mature ponderat aut non constanter sententiat, sepe iudicium suum pervertet et reum absolvet et innocentem puniet. quibus sermo divinus per Ysaiam prophetam maledictionem suam imprecatur dicens: "Ve vobis qui iustificatis impium pro muneribus et iustitiam iusti aufertis ab eo". tales enim, qui impios iustificant et iustos condemnant, non debent appellari iudices vel rectores, sed tyramni et crudeles. dicit enim beatus Augustinus in libro De Civitate Dei: "Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia?". et ponit exemplum de quodam pirata, qui Dyonides vocabatur, qui cum fuisset captus et ad imperatorem Alexandrum ductus, [Page 135]

dixit ei Alexander: "Quid tibi videtur quod mare habes infestum?". et ille respondit: "Et tibi quid videtur quod totum mundum habes infestum? sed quia ego parva navicula hoc facio, latro vocor; quia tu vero magna classe hoc agis, diceris imperator. me paupertas, te vero fastus et inexplebilis avaritia furem facit". tanquam si diceret: ego et tu sumus similes et dissimiles. nam in hoc sumus similes, quia ego sum latro et tu latro. in hoc vero sumus dissimiles, quia ego sum parvus latro et tu magnus latro. ego enim predor mare et tu totum mundum. ego hoc facio cum parva navicula et tu cum classe maxima. me furem fecit inopia, te furem facit superbia et avaritia. delectatus Alexander super eius responsa, eum militie ascribi fecit et sibi sufficientia stipendia assignari iussit, ne de cetero haberet materiam vel causam predandi. rectores igitur mali non habent frontem puniendi malos. unde, cum iudices Athenienses quandam furem ad suspendium duci facerent, dixit Senocrates philosophus: "Magni fures minorem furem puniunt". quod iudices et rectores debent habere in se omnem veritatem. [capitulum tertium]. [Page 136]

Sapientes et doctores distinxerunt et assignaverunt tres veritates, scilicet veritatem iustitie, doctrine et vite. et ista triplex verius est tante auctoritatis et virtutis, quod propter nullum scandalum est dimittenda. si enim aliquis scandalicaretur de eo quod recte iudico et rectum iudicium facio, istud scandalum esset contra veritatem iustitie. item si aliquis scandalicaretur de eo quod veritatem fidei predico et ea, que sunt ad veram salutem, doceo, istud scandalum esset contra veritatem doctrine. rursus, si aliquis scandalicaretur de eo quod ego iustum vitam habeo et mandata Dei servo, istud scandalum esset contra veritatem vite. talis igitur veritas, sive iustitie sive doctrine sive vite, non est dimittenda nec relinquenda, quantumcumque

aliqui ex his scandalum viderentur habere. unde Dominus, cum quadam vice predicaret quandam veritatem doctrine, dixerunt ei discipuli: "Scis quia, auditio hoc verbo, Pharisei scandalici sunt?". et Dominus respondit: "Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus celestis, eradicabitur. sinite illos; ceci sunt duces cecorum". istam triplicem veritatem quidam falsificare noscuntur. nam veritatem iustitie falsificant mali advocati, qui propter cupiditatem sue avaritie sepe pervertunt veritatem iustitie. contra quos dicit Apostolus: "Commutaverunt veritatem Dei in mendacium et servierunt creature potius quam Creator". ille veritatem Dei in mendacium [Page 137]

commutat, qui, cupiditate depravatus terrena, iuditij veritatem falsificat. ille servit creature potius quam Creator, qui propter nummum deserit Deum. veritatem doctrine falsificant heretici, qui contra veritatem fidei multos seminaverunt errores, de quibus dicit Apostolus: "In novissimis diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere et abstinere a cibis quos Deus creavit". veritatem vite falsificant hypocrite, qui simulant vitam sanctam et habent animam iniquam, simulant conversationem ovinam et abent mentem lupinam. dicit autem sanctus Iohannes Crisostomus quod veritas tribus modis falsificatur: aut ipsam vendendo, aut eam tacendo, aut eam non defendendo. primo igitur veritas falsificatur, [Page 138]

ipsam veritatem vendendo, sicut faciunt iudices avari. unde dicit sanctus Augustinus: "Usque adeo cupiditatis inolevit malum, ut iam ex consuetudine vendantur leges, corrumptantur iura, sententia ipsa venalis sit et nulla iam causa possit esse sine causa". secundo falsificatur veritas, ipsam veritatem tacendo, sicut faciunt timidi et pusillanimes, de quibus dicit sanctus Ysidorus: "Qui metu potentis veritatem occultat, eiusdem veritatis iram sibi provocat, quia plus pertimescit hominem, quam divinam trepidet maiestatem". tertio falsificatur veritas, ipsam non defendendo, sicut faciunt iniusti rectores, cum tamen dicatur in Ecclesiastico: "Pro iustitia agoniare pro anima tua et usque ad mortem certa pro iustitia". ad hoc autem quod iudex sive rector iudicet secundum veritatem, debet habere et servare tria verba, que ponuntur in Daniele. cum enim Balthasar rex in talamo suo consisteret, ecce manus quedam de celo venit, que in pariete thalami sui hec [Page 139]

tria verba conscripsit: "Numeravit, appendit et divisit". per hec tria verba instruuntur iudices et rectores qualiter se debeant habere si volunt iustum iudicium iudicare. debent enim reorum et malefactorum culpas dinumerare, id est numeratim inquirere ut nulla pertranseat indiscussa. postmodum debent culpas numeratas, id est numeratim quesitas, in statera sui iudicij ponderare ut sciant que culpe sint leves, que mediocres et que graves. tandem debent dividere, id est divisim punire. non enim debent omnes culpas punire equaliter, sed leves debent punire leviter, mediocres mediocriter et graves graviter. multi tamen sunt, qui quantumcumque secundum veritatem iustitie puniantur et condempnentur, ita tamen veritas iustitie est eis nimium odiosa. quia, sicut dicit Tullius, obsequium amicos, veritas vero odium parit. ita enim est de veritate sicut de luce et de sapore et de odore. lux enim est odiosa oculis lippis, sapor dulcis videtur amarus palato non sano atque insipido, odor est serpentibus odiosus. lippi sunt superbi; superbia enim est quedam [Page 140]

lippitudo anime, que non permittit agnoscere lucem veritatis divine. veritas igitur est odiosa superbis, sicut lux est odiosa oculis lippis, quia nolunt de suis vanitatibus reprehendi. illi qui sunt in palato insipidi, sunt homines delitosi et voluptuosi. tales enim ita sunt insipidi, quod omnia bona spiritualia, quantumcumque sint dulcia, eis desipiunt, sola vero carnalia eis sapiunt. quia, sicut dicit Apostolus, animalis homo non percipit que sunt spiritus Dei. talibus enim est odiosa veritas iustitie sicut sapor est amarus palato insipido, quia nolunt de suis immunitiis reprehendi. homines serpentini sunt avari, qui ad modum serpentum terram comedunt, quia terrena semper concupiscunt. istis igitur est odiosa veritas iustitie sicut odor est odiosus serpentibus, quia nolunt de suis cupiditatibus, rapinis et avaritiis iudicari. sed quantumcumque sit eis

veritas iustitie odiosa, tamen iudices et rectores debent constanter eos arguere, sicut dicit Apostolus cuidam suo rectori:  
"Argue cum omni imperio". sed multi sunt rectores  
et prelati negligentes et tepidi, qui non audent nec curant arguere  
nec reprehendere homines lippos, idest superbos, nec homines[Page 141]

insipidos, idest delitosos, nec homines serpentinos, idest avaros.  
propter quod dicit Dominus in Evangelio: "Habundavit iniquitas  
et refrigerescet caritas multorum". hodie siquidem habundat  
iniquitas in subditis et refrigerescit caritas in prelatis. et bene dixit  
Dominus "refrigescet". sunt enim multi rectores et prelati, qui in  
principio sui regiminis sunt multum calidi, in medio sunt tepidi, in  
fine vero efficiuntur frigidi. multi namque sunt, qui in principio  
sui regiminis sunt valde magnanimes et constantes ad vitia  
ulciscenda. in medio autem sui regiminis sunt tepidi et negligentes,  
ita quod multa mala dissimulant et impunita transire dimittunt.  
in fine autem sui regiminis omnino sunt frigidi et  
de regimine nichil curant. tales non possunt dici rectores et prelati,  
sed Cimere. Cimera enim secundum philosophos et poetas  
non est animal verum, sed ymaginatum. ymaginati sunt enim  
philosophi et poete quoddam animal, quod in prima parte sui  
habebat similitudinem leonis, in media parte habebat similitudinem  
capre, in ultima parte habebat similitudinem serpentis.  
et tale animal appellaverunt Cimeram. leo autem est animal  
calidum, capra est animal temperatum, serpens est animal frigidum.  
illi igitur rectores et prelati sunt Cimere, qui in principio  
sui regiminis tanquam leones sunt magnanimes et feroce. in  
medio, tanquam capre, efficiuntur temperati, idest tepidi et negligentes.  
in fine, tanquam serpentes, efficiuntur frigidi et nichil  
curantes. propter hoc dixit Dominus in Apocalipsi  
cuidam prelato, qui prius erat multum fervens, sed postea factus erat[Page 142]

multum tepidus et remissus: "Habeo, inquit Dominus,  
adversum te, quia caritatem tuam primam reliquisti. memor  
esto igitur unde excideris et age penitentiam et prima opera fac".  
quod iudices et rectores debent [odire] omnem avaritiam et cupiditatem.  
[capitulum quartum].

Sicut dicit Apostolus: "Radix omnium malorum est cupiditas".  
istud experimento videmus maxime in iudicibus et rectoribus  
terrarum, in quibus ipsa cupiditas est radix precipue trium malorum.  
rectores enim et iudices avari pervertunt iudicia, rapiunt  
aliena et non curant de republica. ista autem tria aliquantulum latius  
videamus. quandoquidem iudices et rectores sunt avari et munera  
libenter accipiunt, tunc iudicia pervertunt. ideo dicitur in  
Ecclesiastico: "Exenia et dona excecent oculos iudicum,  
et [quasi] mutus avertunt correptionem". dicit autem  
ibi expositor quod mutus est quedam ranuncula, que dicitur mutus  
ab effectu quia, si in os canis latrantis prohicitur, statim mutus  
efficitur. exenia ergo et dona sunt tanquam illa ranuncula,  
quia in os avari iudicis vel rectoris projecta, statim ipsi latrare desinunt  
contra iniquitates, quia ulterius non audent redarguere[Page 142]

multum tepidus et remissus: "Habeo, inquit Dominus,  
adversum te, quia caritatem tuam primam reliquisti. memor  
esto igitur unde excideris et age penitentiam et prima opera fac".  
quod iudices et rectores debent [odire] omnem avaritiam et cupiditatem.  
[capitulum quartum].

Sicut dicit Apostolus: "Radix omnium malorum est cupiditas".  
istud experimento videmus maxime in iudicibus et rectoribus  
terrarum, in quibus ipsa cupiditas est radix precipue trium malorum.  
rectores enim et iudices avari pervertunt iudicia, rapiunt  
aliena et non curant de republica. ista autem tria aliquantulum latius  
videamus. quandoquidem iudices et rectores sunt avari et munera  
libenter accipiunt, tunc iudicia pervertunt. ideo dicitur in  
Ecclesiastico: "Exenia et dona excecent oculos iudicum,  
et [quasi] mutus avertunt correptionem". dicit autem  
ibi expositor quod mutus est quedam ranuncula, que dicitur mutus  
ab effectu quia, si in os canis latrantis prohicitur, statim mutus  
efficitur. exenia ergo et dona sunt tanquam illa ranuncula,  
quia in os avari iudicis vel rectoris projecta, statim ipsi latrare desinunt  
contra iniquitates, quia ulterius non audent redarguere[Page 143]

malignantes. boni autem iudices et rectores sunt tanquam canes  
Dei, qui latrant contra lupos, idest contra homines impios et iniustos,  
et ideo gregi Dei sunt valde neccessarij. reffert Petrus Manducator,

maximus doctor, quod cum Philippus, rex Macedo,  
qui fuit pater magni Alexandri, obvideret Athenas, quidam  
mediatores voluerunt componere inter eos. rex autem Phylippus  
dixit Atheniensibus: "Tota causa discordie inter me  
et vos sunt vestri iudices et advocati. sed si vultis ut a vobis recedam,  
date mihi .VI. de sapientioribus iudicibus et advocationis,  
qui sunt inter vos, quos ego eligam et ipsos mecum  
obsides ducam, et vos in pace dimittam". cum audisset Demostenes,  
sapientissimus perorator, in populo concionatus est  
dicens: "Inter lupos et pastores longo tempore discordia magna fuit.  
tandem dixerunt lupi pastoribus: "Tota causa discordie  
inter nos et vos sunt isti canes. sed date nobis canes et  
vos dimitteremus in pace". pastores autem fuerunt simplices  
et dederunt eis canes et ipsi eos continuo occiderunt. tandem,[Page 144]

dormientibus pastoribus et deficientibus canibus, lupi in  
gregem intraverunt et oves occiderunt. ita vult facere nobis  
iste Phylippus. scit enim quod sapientes, qui sunt in Athenis,  
sua sapientia terram regunt, populos custodiunt, malos arguunt  
et reprehendunt. et ideo, si istos sapientes de Athenis removerit,  
ad nos redibit et, deficiente consilio sapientum, omnes  
nos sibi totaliter subiugabit". tunc populus unanimiter acclamavit:  
"Petitio regis Phylippi penitus repellatur et quod sapientes  
de Athenis nullatenus removeantur". ex quo  
patet quod boni iudices sunt valde neccessarij et utiles, quia sunt  
tanquam boni canes Dei, qui latratu sue lingue lupos, idest homines  
impios, arguunt et oves, idest simplices et innocentes, custodiunt.  
iudices autem et rectores avari lude Scariothi sunt similes.  
Iudas enim ex avaritia vendidit Christum. Christus autem erat  
veritas, sicut ipse dicit: "Ego sum via, veritas et vita". Iudas  
igitur, vendendo Christum, vendidit veritatem. eodem modo  
mali iudices et rectores propter cupiditatem vendunt iudicij veritatem.  
et ideo possunt Iudas non immerito appellari.  
de hoc ita dicit beatus Ieronimus: "Vis scire quam periculosus  
sit amor habendi pecuniam? per hanc enim Iudas vendidit Salvatorem".  
quod scelus quando audimus, omnes horremus[Page 145]

et impium discipulum condempnamus et nos proprio mucrone  
confodimus. postea subdit Ieronimus: "O quanti lude ludam  
damprant!" lude igitur sunt omnes, qui veritatem iusticie  
vendunt et tamen tales lude ludam proditorem verbis condempnant,  
sed operibus imitantur. avari etiam iudices et  
rectores non desinunt rapere aliena. unde reffert Valerius quod,  
dum in Yspaniam unus consul de Roma esset mittendus  
et de duobus mentio haberetur, Scipio, sciens quod unus eorum  
erat avarus et alter mendicus, dixit in publica contione: "Neuter  
mihi placet. unus quia nihil habet, alias quia nihil  
satis est ei". quasi dicat: pauper non faceret nisi rapere propter  
suam [indigentiam, et avarus non faceret nisi rapere propter suam]  
inexplebilem avaritiam, et sic neuter missus fuit. tales  
igitur iudices et rectores avari peiores demonibus sunt dicendi. quod  
tali ratione potest ostendi. homo quidem tria habet, scilicet[Page 146]

res temporales, corpus et animam. dyabolus autem non curat  
de rebus, quia nihil terrenum possidet, nec curat de corpore, quia  
corpus sine anima nihil valet; sed tantum curat de anima, ut  
eam ad peccatum trahat. unde dicit sanctus Gregorius quod  
diabolus nihil se fecisse extimat, nisi quando animam vulnerat.  
verum est tamen quod dyabolus aliquando auffert  
bona temporalia, aliquando ledit corpora, sicut patet in sancto  
Iob, cui etiam omnia bona temporalia abstulit et corpus eius  
graviter vulneravit. sed dyabolus non facit ista nisi propter animam,  
ut scilicet per talem rerum ablationem et corporis vulnerationem  
inducat animam ad impatientiam seu blasphemiam  
et desperationem. quamvis igitur dyabolus non curet de rebus  
nec de corpore, sed tantum de anima, iudices tamen et rectores  
avari de omnibus curant. nam bona temporalia a subditis rapiunt,  
corpora eorum opprimendo affligunt, ut per talem oppressionem  
possint ab eis pecuniam extorquere. insuper animas eorum malo  
exemplo corrupti et ad desperationem pertrahunt, et sic demonibus  
sunt peiores. avari etiam iudices et rectores non curant de  
re publica, sed tantum de propria. e contrario autem Romani  
iudices et consules plus rem publicam quam propriam celabant.[Page 147]

et ideo ipsam splendidam faciebant, unde dicit Augustinus quod

Romani consules habebant rem publicam opulentissimam, domesticam vero pauperrimam. nolebant enim Romani, in consulatibus sublimati, magis inveniri divites in consulatu, quam ante consulatum fuissent. unde reffert idem Augustinus in libro De Civitate Dei quod quidam consul repulsus est a senatu ex eo quod .X. pondera argenti plus inventus est habere, quam ante consulatum habuisset. hanc autem magnanimitatem habuerunt Romani, quod potius voluerunt ut res publica nobilitaretur dominando hominibus habentibus aurum, quam quod ipsi possiderent aurum. unde reffert Vegetius in libro De re militari quod legati Epirotarum cum magno pondere auri et argenti Romam venerunt ut sibi acquirerent libertatem, et cum intrassent in sero ad Fabritium consulem Romanorum, invenerunt ipsum m mensa rusticana cum vasis ligneis cenanem. cumque sibi magna auri et argenti pondera obtulissent, ille eis respondit: "Abite et aurum et argentum vestrum asportate, quia Romani malunt dominari hominibus habentibus aurum,[Page 148]

quam auro. et scitote Fabritium [nec auro] nec hostibus vinci posse". quia igitur iudices et rectores avari pervertunt iudicia, rapiunt aliena et nihil curant de re publica, ideo cum malis et avaris iudicibus et rectoribus demergentur ad inferni supplicia. reffert enim quidam philosophus quod Nero imperator, qui fuit crudelissimus et avarus, visus est post mortem suam in auro liquefacto bullienti apud inferos balneari, et cum vidisset[Page 149]

magnum cetum iudicum et advocatorum, dixit eis: "Venite ad me, venale genus hominum, et mecum hic balneamini, quia vobis partem optimam reservavi". tunc etiam in avaris iudicibus et rectoribus complebitur quod cuidam alteri dictum fuit, sicut reffert Orosius, qui cum aurum semper sitiret et satiari non posset, tandem ab inimicis captus fuit. illi autem aurum liquefactum et bulliens in os suum miserunt dicentes: "Aurum sitisti, aurum bibe". istud etiam demones cuilibet avaro dicere poterunt: "Aurum sitisti, aurum bibe". et sic patet quod avari iudices et rectores in auro liquefacto et bullienti balneabuntur et auro liquefacto et bullienti potabuntur. sanctus autem Ambrosius reffert quod quidam rex avarus, nomine Mida, petit[Page 150]

ab Apolline deo suo ut quidquid tangeret aurum fieret. cum igitur sua petitio fuisse impleta, omnia, que tangebat, in aurum protinus vertebantur. venit igitur ad mensam et panis et cetera comestibilia, que tangebat, vertebantur in aurum, ita quod comedere non valebat. ordinavit igitur quod famuli sui cibos tangerent et in os suum ponerent; sed cum illos cibos labia sua tangerent, in aurum protinus vertebantur, et sic fame mortuus est. quia enim iste aurum nimis ardenter concupivit, ideo aurum et vitam amisit. eodem modo avari, qui nimis ardenter aurum concupiscunt, ideo et aurum amittunt et vitam eternam perdunt. capitula .VIIIe. partis.

Sequitur .VIIIA. pars, in qua ponitur quales debentesse cives et habitatores civitatum. et ista pars habet tria capitula. in primo capitulo ostenditur quod ipsi cives debent esse in consulendo discreti et maturi. in secundo, quod non debent esse vitiis subiecti, sed in virtutibus exercitati. in tertio, quod debent esse rei publice celatores maximi. quod consiliarii civitatum debent esse sapientes et maturi. [capitulum primum].[Page 151]

Scriptum est in libro Tobie: "Consilium semper a sapiente perquire". et contra in Ecclesiastico legitur: "Cum fatuis non habeas consilium, non enim poterunt diligere nisi ea que sibi placent". debent igitur consiliarij esse discreti et maturi; non enim debent esse pueri nec decrepiti nec iuvenes, sed maturi et senes. et ratio est quia, sicut dicit sanctus Ysidorus, sanguis calidus est causa scientie acute. sanguis minus calidus est causa scientie parve. sanguis frigidus est causa insipientie. sanguis vero temperatus est causa scientie mature. pueri igitur nundum sapiunt, quia nundum in eis sanguis incaluit. decrepiti desipiunt, quia sanguis in eis iam friguit. iuvenes accute cognoscunt, quia sanguis in eis incandescit. antiqui mature cognoscunt, quia eorum sanguis nec est calidus nec frigidus, sed temperatus. consiliarij igitur non debent esse pueri, quia pueri nundum habent scientiam nec possunt bene dijudicare, nec discernere, nec que agenda sunt cognoscere vel videre. nec debent esse decrepiti, quia illi

admodum desipiunt et delirant. nec debent esse iuvenes, quia iuvenes habent animum nimis fervidum et cor nimis acutum. sed debent esse antiqui et senes, quia illi habent sensum maturum et animum temperatum. nam, sicut dicitur in Iob in antiquis est sapientia et in multo tempore prudentia inveniuntur autem aliqui iuvenes, qui habent sensum canum et animum maturum, de quibus dicitur in libro Sapientie: "Cani sunt sensus hominis et etas senectus vita immaculata". tales, inquam, iuvenes sunt ad consulendum valde ydonei, et ideo inter consiliarios sunt per omnia ascribendi. talis fuit Daniel, qui licet esset iuvenis in corpore, erat tamen maturus et antiquus in sensu; unde dixerunt ei iudices Israelitae: "Veni et sede in medio nostrum, quia tibi dedit Deus honorem senectutis". debent igitur consiliarij esse sapientes et maturi. illi autem sunt maturi, qui non sunt precipites nec festini, qui non sunt improvidi sed valde circumspecti, qui non sunt iracundi sed mente tranquilli, qui non sunt moribus lascivi sed vita preclari, qui non diligunt crudelitatem sed amant equitatem. illi igitur, qui tales sunt [possunt appellari maturi et] in consiliarios eligendi. ista autem omnia latius persequamur. primo igitur consiliarij non debent esse precipites nec festini, sed in hiis, que habent consulere, debent multam deliberationem habere. quia, sicut dicit Salomon, qui festinus est pedibus offendet et in Ecclesiastico dicitur: "Verba sapientium"

[Page 153]  
 statera ponderabuntur". sapientes nam verba sua in statera sui iudicii ponderant et examinant antequam ea proferant. ista est enim differentia inter sapientem et fatuum, quia sapiens habet os suum in corde suo, quia verba apud se ipsum examinat priusquam ea proferat. fatuus autem habet cor suum in ore suo, quia quicquid habet in corde, statim habet in ore. unde dicitur in Ecclesiastico: "In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientum os illorum". et quia multi in consulendo sunt nimis precipites, ideo sepe in consiliis inveniuntur errantes. ideo dixit Socrates: "Velox consilium sequitur penitentia, id est penitudo". propter hoc legitur in libro De duodecim Cesariis quod Augustus Cesar dicere consuevit quod festinatio et temeritas male in duce conveniunt. et addebat dicens: "Satis celeriter fit quicquid bene fit". ideo etiam dixit Varro philosophus: "Imperitum signum est quod difficillimum est exigere cito fieri". secundo consiliarij non debent esse improvidi, sed valde circumspecti, quia non tantum debent considerare ad rerum et negotiorum principia, sed etiam ad fines et ad ea que faciunt ad finem. istud ostendit Deus in Evangelio

[Page 154]  
 per duo exempla. primum exemplum est quia si aliquis vult hedi ficare turrem, non debet statim ipsam incipere, sed prius debet videre et considerare si habet sumptus unde ipsam turrem possit ad finem perducere, ne, postquam incepit et compleat non poterit, omnes sibi irrideant et dicant: "Iste homo cepit hedificare et non potuit consumare". aliud exemplum est quia si aliquis rex vult cum alio rege pugnare, non debet statim pugnam incipere, sed prius debet videre si sufficienter habet arma et milites quibus possit ad finem victorie pervenire. legitur quod cum quidam philosophus in platea cuiusdam civitatis consisteret, dixit se vendere sensum omnibus qui indigerent. quidam igitur princeps, hoc audito, sibi per nuntium aurum et argentum misit ut de sensu suo sibi venderet. ille autem in cedula scripsit dicens: "In omnibus, que acturus es, semper cogita quid tibi possit accidere". cum igitur princeps illam cedulam recepisset, verba illa super portam sui palatii lictoris aureis scribi fecit. post aliquos dies quidam eius inimici cum barbaro principis ordinaverunt ut quando eum raderet, ipsum cum rasorio iugularet. cum ergo barbarius ad radendum principem accederet et aliquo modo lictoras sciret, suspiciens litteras illas legit. quibus lectis, cepit cogitare quid de hoc posset sibi accidere et tunc cepit tremere et pavere et color vultus eius in pallorem mutatus est. quod cum princeps vidisset, ipsum capi fecit et veritatem

[Page 155]  
 extorquens, sibi pepercit, sed actores sceleris interfecit. ex quo manifeste colligitur quod non tantum debemus respicere ad operis principium, sed maxime ad finem et exitum. tertio consiliarij non debent esse iracundi, sed mente tranquilli. ex corde enim pleno iracundia non possunt procedere consilia

recta, quia ira impedit animum ne possit cernere verum. unde dicit Crisostomus: "Non potest pacifice loqui, qui cor habet turbatum". propter quod dicit Socrates: "Pro consilio duo maxime sunt contraria, scilicet festinatio et ira". sed notandum quod est quedam ira mala, que odium nuncupatur; quedam bona, qua homo contra vitia et peccata irascitur; quedam nec bona nec mala, scilicet subbitus ire motus, sine qua presens vita non ducitur. prima igitur ira consilio est contraria, quia intellectum obnubilat ne consilium rectum discernat. due autem sequentes ire consilio non sunt contrarie, quia intellectum non habent obnubilare. querit autem sanctus Augustinus in libro De Civitate Dei si ira et perturbatio cadunt in animum sapientis et dicit quod de hoc aliter [senserunt stoici et aliter] perypatetici,[Page 156]

aliter christiani. stoyci enim philosophi dixerunt quod ira [et] perturbatio non cadunt in sapientem, quia in omnibus adversis habet firmum animum et constantem, ita quod nulla perturbatione movetur. perypatetici autem philosophi dicunt quod sapientes aliquando ad iram et turbationem moventur, sed tamen ipsam iram et turbationem habent rationi subiectas et freno discretionis moderatas. christiani autem philosophi non querunt utrum iste irascatur vel non irascatur, sed utrum ex causa vel sine causa irascatur. ideo dixit Dominus in Evangelio: "Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio". et aliqui libri ibi habent: "Omnis qui irascitur fratri suo sine causa et cetera". qui enim irascitur vitio fratris, talis ira est ex causa et est bona et debet cadere in quemlibet sapientem. qui[Page 157]

enim irascitur fratri non vitio fratris, talis ira est sine causa et est mala et non debet cadere in aliquem sapientem. quarto ipsi consiliarij non debent esse moribus lascivi, sed vita preclari. de hoc ita dicit sanctus Ambrosius in libro De Officijs: "Advertimus quod in querendis consiliis plerumque adiungat vite probitas, virtutum prerogativa, benivolentie usus". postea subdit: "Quis enim in ceno fontem requirat? quis ex turbida aqua potum petat? itaque ubi luxuria est, ibi intemperantia. ubi confusio vitiorum, quid inde sibi aliquis auriendum extimet? quis utilem cause anime sue iudicet, quem videt inutilem vite sue? quomodo potest eum aliquis iudicare consilio superiorem, quem videt inferiorem moribus? super me debet esse cui me committere paro. an vero eum ydoneum putabo, qui mihi det consilium qui non dat sibi, et mihi vacare credam, qui sibi non vacat?" idem in eodem. illi viro salutem nostram[Page 158]

committimus, qui sit iustus et prudens: facit iustitiam ut nullus sit fraudis metus; facit prudentiam ut nulla sit erroris suspicio. promptius tamen viro iusto quam prudenti nos committimus, quia consilium viri iusti frequenter ingenio sapientissimi viri preponderat. quinto consiliarij debent odire crudelitatem et diligere equitatem. sepe autem contingit quod illi, qui dant consilia crudelia, ex iuditio divino incurront in illa, sicut legitur in libro Hester. nam cum Aman princeps altissimum lignum parasset, ut in ipsum Mardocheum iudeum suspenderet, suasis regi Assuero ut dictum Mardocheum tanquam malefactorem sibi suspendere et punire liceret. cum igitur rex causam examinasset, invenit Mardocheum innocentem et laude dignum; Aman vero invenit malefactorem et puniendum, et ideo in illo ligno, quod Mardocheo paraverat, eum suspendi fecit. nam, sicut dicit Salomon, qui fudit foveam incidet in eam. reffert etiam Orosius, magnus ystoriographus, quod dum quidam tyrannus, nomine Fallaris,[Page 159]

multum esset crudelis ad suppicia irroganda, quidam argentarius, nomine Perilus, crudelitatem illius voluit adiuvare; volensque sibi placere, taurum eneum fecit, cui ex latere portam composuit, per quam puniendo possent includi. ipsum igitur tyranno presentavit dicens ut quos odiosos haberet, ignibus suppositis, intus includeret, ut cum illi pre doloribus gemitus emitterent, non gemitus hominis sed potius gemitus tauri esse viderentur. quod tamen factum tyrannus abhorruit dixitque ei ut primus intraret, ut sic eius mugitum audiret. ipsum igitur violenter includi fecit et genus mortis horibilis, quod alijs paraverat, ipse primus expertus fuit. [et sic completum fuit] illud quod dicitur in Ecclesiastico: "Facienti nequissimum consilium, super eum devolvetur, et non cognoscet

unde adveniat illi". hoc etiam patet in Chaypha,  
qui consilium dedit Iudeis ut Christus occideretur,[Page 160]

ne Romani veniant et locum et gentem tollant. sed istud consilium,  
tam nequissimum, fuit super eorum capita devolutum,  
quia enim Iudei Christum occiderunt, ideo Romani principes, scilicet  
Tytus et Vespaxianus, locum destruxerunt et gentes dispergerunt  
et occiderunt. quod cives non debent esse vitiis subiecti, sed in  
virtutibus exercitati. capitulum .IIm. .

Cives nobiles et famosi non debent vitiis subici, sed in virtutibus  
exercitari. illi enim, qui vitiis subiciuntur, non possunt dici  
rationales sed brutales, non sunt liberi sed sunt servi, non sunt  
viriles sed effeminati et molles. primo igitur non sunt racionales  
sed brutales, unde dicit Propheta: "Homo, cum in honore esset, non  
intellexit; comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est  
illis". secundum enim diversitatem vitiorum homo similis  
est diversitatibus bestiarum. istud autem, qualiter sit, ostendit  
Boetius eleganter in libro De Consolatione, dicens:

"Evenit ut quem transformatum vitiis videas, hominem  
existimare non possis: avaritia fervet, alienarum opum violentus  
ereptor, lupo similem dixeris; ferox atque inquietus  
linguam litigiis exercet, canibus comparabis; insidiator occultus,  
subripuisse fraudibus gaudet, vulpeculis exequetur.  
ira intemperans fremit, leonis animum gestare credetur; pavidus  
ac fugax non metuenda formidat, cervis similis habeatur.  
segnis ac stupidus torpet, asinus vivit, levis ac inconstans  
studia permutat. nichil avibus differt, fedis immundisque  
libidinibus inmergitur, sordide suis voluptate detinetur. ita[Page 161]

fit ut qui, probitate deserta, homo esse desierit, cum in divinam conditionem  
transire non possit, vertitur in beluinam".

secundo illi, qui sunt vitiis subiecti, non sunt liberi sed servi. ideo  
dicit Dominus in Evangelio: "Omnis, qui facit peccatum,  
servus est peccati". et beatus Petrus apostolus dicit: "A quo  
enim quis superatus est, huius et senus est". nam, sicut dicit  
Augustinus, peccator est servus tot dominorum quot vitiorum.  
istud ostendit Dyogenes philosophus loquens cum  
Alexandro. supradictus enim philosophus nolebat cum hominibus  
conversari, sed in heremo in quadam vegete morabatur  
et ita quod in estate volvebat fundum soli, et sic semper umbram  
habebat; in yeme vero os vertebat ad solem, et sic semper solem  
habebat. cum igitur Alexander imperator yemali tempore ad  
eum accessisset et ante eum stans umbram sibi faceret, dixit  
philosopho si volebat ut aliquam gratiam sibi concederet.  
cui ille respondit: "Vellem ut mihi non auferres quod[Page 162]

dare non potes". cum igitur Alexander ad partem aliam deviasse, interrogavit philosophum si ipsum cognosceret. cui  
philosophus respondit: "Cognosco te, quia tu es servus servorum  
meorum". cum ergo Alexander huius dicti rationem quereret,  
ille ait: "Superbia est domina tua, quia ipsa quocumque vult te  
ducit; est autem ancilla mea, quia eam suppeditavi. luxuria  
est domina tua, quia ab ipsa te duci permittis; est autem  
ancilla mea, quia eam penitus subiugavi. ira et avaritia sunt  
domine tue, quia te ducunt sicut volunt; sunt autem ancille mee,  
quia eas duco sicut volo, et sub pedibus eas teneo. et ideo tu es  
servus servorum meorum et ancillarum mearum". cum igitur  
Alexander sibi diceret se mirari quia non videbatur suam dominationem  
timere ex eo quod tam audacter sibi loqueretur, ille  
respondit: "Ego dominium tuum non timeo, quia dominium tuum  
aut est preteritum et illud iam non est, aut est futurum et illud dubium  
et incertum est, aut est presens et illud breve et momentaneum  
est". verum, cum milites Alexandri ex talibus verbis  
indignati vellent in philosophum irruere et ipsum graviter  
verberare, prohibuit Alexander dicens: "Cavete ne ipsum aliquantum  
contingatis. iste enim vere servus Dei est et vera  
sunt omnia que testatur et dicit". tertio illi, qui sunt vitiis  
subiecti, non sunt viriles, sed effeminati et molles. effeminati  
sunt illi, qui ad modum feminarum ornant se aureis frixijs  
et pretiosis ac mollibus vestimentis. contra quos dicit poeta:[Page 163]

"Sint procul a nobis iuvenes, ut femina, compti". legitur  
in ystoriis Romanorum quod Tullius Hostilius, qui fuit  
tertius rex Romanorum, primus usus est apud Romanos veste  
purpurea, qui cum tota domo sua a fulmine fuit combustus, sicut

etiam testatur sanctus Augustinus in libro De Civitate Dei.  
multum autem auxit humana vanitas ad vestium vanitatem.  
materia enim prime vestis fuit multum vilis, quia fuit de simplici  
lana. nam, sicut legitur in Genesi, cum Adam et  
Eva essent nudi, Deus fecit eis tunicas pelliceas. deinde processum  
est ad lanam diversis coloribus variatam; deinde processum  
est ad sericum unde fiunt purpure. postmodum processum est  
ad aurum simul et sericum, unde fiunt panni deaurati. tandem  
processum est ad auri frisia et lapides pretiosos. ecce  
vanitas vanitatum et omnia vanitas. sunt etiam effeminati illi,  
qui sunt delitiis et voluptatibus subiecti. tales enim de nulla  
alia re curant, nisi de suis delitiis et voluptatibus explendis. ideo  
olim in castris non audebant aliqui stare, nisi casti. unde et  
a castis castra sunt appellata. unde reffert Valerius quod, cum[Page 164]

Cornelius Scipio in Yspaniam cum grandi exercitu missus fuisset,  
omnia, que erant causa voluptatis et incentiva libidinis, iussit de  
suo exercitu penitus removeri. propter quod duo milia scorta de suo  
exercitu recesserunt. noverat enim vir industrius quod voluptas  
viriles mentes effeminat et vires ferreas emollit atque enervat.  
unde cum Alexander, cum adhuc esset adolescens cum  
cythara caneret, Antigonus, eius pedagogus, eam sibi abstulit  
et cum indignatione fregit, dicens: "Etati tue regnare iam convenit,  
et ideo turpe est in regis pectore voluptatem et luxuriam dominari".  
ipse enim Alexander, licet fuerit magnanimis [et]  
virtuosus, tamen aliquibus vitiis fuit plenus. dicitur enim in Pollicrate  
quod, licet Alexander fuerit orbis victor, ab ira tamen  
et violentia et concupiscentia vincebatur. maxime  
autem concupiscentia carnalis facit hominem effeminatum et mollem.  
unde cum quidam effeminatus diceret Pictagore philosopho[Page 165]

quod libertius staret cum mulieribus, quam cum philosophis,  
ille respondit: "Et porci libertius in luto, quam in aqua  
pura morantur". nam concupiscentia enervat homines fortissimos,  
homines sapientissimos et, quod magis gemendum  
est, enervat etiam homines virtuosos. quis enim Sansone fortior?  
quis Salomone sapientior? quis David virtuosior? et tamen omnes  
isti fuerunt a mulieribus enervati. legitur in libro Esdre  
quod coram rege potentissimo Assuero per quosdam sapientes  
questio mota fuit quid esset fortius in hoc mundo. unus autem  
dixit quod vinum erat fortius, quia vinum sensum et  
rationem ab homine tollit, per omnia debita solvit, inter hostes  
securos reddit. alius dixit quod rex sive imperator erat fortior,  
quia suo verbo omnes obediunt, ad eius imperium omnes tremunt,  
occiduntur omnes ut iubet, vivunt et conservantur omnes ut  
placet. tertius dixit quod mulieres sunt fortiores, quia mentes  
ferreas et viriles emolliunt, effeminant et enervant, et posuit  
exemplum de ipso Assuero rege, qui quandam amasiam habebat,[Page 166]

que sic eum enervaverat et emollierat, ut in faciem suam  
irata aliquando alapam daret et rex sibi arrideret. si quando  
videbatur irata, rex se iratum similiter simulabat; quando apparebat  
leta, et rex similiter letum [se] ostendebat; si apparebat tribulata,  
rex ipsam blanditijs demulcebat. et iste iudicatus est  
melius dixisse. ex quo manifeste patet quod ipsa carnalis concupiscentia  
ferreas mentes emollit, animos viriles effeminat et homines  
fortes enervat. tales igitur, qui sic sunt effeminati, non sunt  
rebus bellicis apti nec militie ascribendi, nec sunt dicendi viri sed  
feminei. legitur in Proverbiis Philosophorum quod cum  
quidam homo ingenti odore fragraret, Democritus philosophus  
dixit: "In quo viro mulier redolet?". cumque  
illum vidisset, ait: "Penitet me te virum vocasse et falsum in te  
odorem cognovi". non debent igitur cives et lascivitatibus  
subici, sed in rebus virtuosis et bellicis exercitari. ars enim  
preliandi melius adiscitur per experientiam, quam per scientiam,  
melius per consuetudinem, quam per artem. legitur in libro  
Iudicum quod Dominus voluit dimittere filiis Israelis quosdam  
hostes ut in ipsis exercitarentur et artem disserent bellandi,[Page 167]

unde dicitur ibidem: "Hee sunt gentes, quas Dominus dereliquit,  
ut erudiret in eis Israelem et omnes, qui [non] noverant  
bella Cananeorum, ut postea disserent filij exercitare cum hostibus  
et habere consuetudinem preliandi". oportet igitur se  
circa fortia exercitare et non lascive nec molliter nec segniter  
se habere, qui vult de hostibus triumphare. hinc est quod, sicut

legitur in libro Iudicum, cum vellet Dominus populum suum  
de manu Madianitarum eripere et Gedeon, qui erat dux populi  
Domini, haberet secum exercitum copiosum, noluit Deus  
ut cum eo pergeret tanta populi multitudo. et ideo dixit Deus  
Gedeoni ut populum ad flumen duceret et ibidem ei demonstraret  
qui secum ad prelum profecturi essent. inmisit  
igitur Deus in populo magnam sitim. cum igitur venissent ad  
[aquam], quidam eorum terre incumbentes bibebant, alij  
vero stantes aquam ad os prohiciebant. Dominus autem noluit  
quod illi qui quiescentes biberant sed tantum illi qui stantes aquam  
ad os proiecerant ad prelum proficiscerentur, per quod significabatur  
quod illi non sunt militie ascribendi nec rebus bellicis  
anumerandi qui dant se quieti et delitijs, sed tantum illi  
qui exercent se in operibus fortissimis et virtuosis. ideo enim Romani  
toties triumphaverunt quia circa opera virtuosa et fortia  
semper se exercitaverunt. unde dicitur in Pollicrate quod  
tria fecerunt Romanos esse victores, scilicet exercitatio, fides et  
scientia. primum igitur quod fecit Romanos esse victores fuit exercitatio.[Page 168]

exercitabant enim [se] circa arma bellica et opera  
virtuosa, ideo gaudebant victoria. dicit enim Vegetius in  
libro De re militari quod exercitata paucitas promptior est ad  
victoram, quam rudis et indocta multitudo. dicit autem sanctus  
Augustinus in libro De Civitate Dei, ubi querit qualiter  
Romanum imperium sic fuit dilatum, quod Romani primo exercitaverunt  
se circa opera virtuosa pro libertate habenda, ut scilicet  
nulli genti subicerentur sed libere regnarent, multe enim civitates  
et reges eos sibi subicere conabantur. postquam igitur libertatem  
per multa prelia fuerunt assecuti, ceperunt exercitare  
se circa opera virtuosa et arma bellica pro gloria dilatanda,  
ita quod gloriam suam et nomen per totum mundum dilataverunt.  
ita quod ipsi Romani, quamvis a principio non dominarentur nisi  
usque ad quintum lapidem, idest ad quintum miliare sicut dicit  
idem Augustinus, postmodum suum dominium in tantum dilataverunt,  
quod toti mundo dominati fuerunt. tandem ceperunt  
exercitare ad invidiam et avaritiam et ex hoc orta sunt inter eos  
bella civilia per que se mutuo destruxerunt. fides etiam  
fecit Romanos esse victores. ipsi enim non tantum amicis, sed etiam  
inimicis fidem servabant, propter quod omnes de eis confidebant.[Page 169]

unde legitur in gestis Romanorum quod, dum quidam civis  
Romanus ab Anibale captus fuisse, sub iuramento Romam dimissus  
est, ut pretium sibi redemptionis acquireret. sed cum pretium  
invenire non posset et redire nollet, senatus eum ligari fecit  
et ad Anibalem misit. noluerunt enim quod fidem frangeret,  
quam sibi sub iuramento promiserat, maxime quia fides etiam  
hostibus est servanda. scientia etiam Romanos fecit esse victores.  
unde etiam Romulus, postea Numa Pompilius centum  
sapientes de populo elegit, quorum consilio res publica regebatur,  
qui quidem dicebantur senatori et patres conscripti.  
senatores dicebantur propter sensum et vite et etatis maturitatem  
quasi seniores; patres vero dicti sunt propter affectum,  
quia tanquam patres debebant habere curam et sollicitudinem rei  
publice et ipsam fovere et defendere. patres autem conscripti dicebantur  
propter dignitates, quia omnes erant mitrati et in singulis  
mitris, quas gerebant, propria nomina scripta habebant. Constantinus  
autem imperator mitram suam domino pape dedit. mitras  
vero senatorum cardinalibus tribuit, unde senatori sic  
tunc mitrati incedebant, sic modo cardinales mitrati incedunt.  
vel ideo dicebantur patres conscripti, quia eorum nomina et[Page 170]

acta in gestis publicis annotabantur. quod autem scientia sit  
necessaria ad prelia contra hostes, narrat Trogus Pompeius  
quod, dum Alexander ad bellum periculosissimum pergeret, non elegit  
robustos sed veteranos, qui cum patre suo militaverant. unde  
factum est quod eorum consilio et sapientia de hostibus triumphavit.  
sicut enim dicit Salomon, vir sapiens fortis est et vir doctus  
robustus, quia cum dispositione initur bellum et erit salus  
ubi multa consilia sunt. quod cives debent celare rem publicam.  
[capitulum tertium].  
Rem publicam in tantum cives debent celare quod utilitati  
proprie ipsam debent preponere, quod pro ipsa conservanda  
interdum morti se debent exponere, quod pro ipsa defendenda  
licet patri contra filium et filio contra patrem arma levare.  
ista autem tria per aliqua ostendamus exempla. quod enim res publica

utilitati proprie sit preponenda ostendit Augustinus in libro  
De Civitate Dei et Tullius in libro De Officijs. dicunt  
enim quod cum Ma[r]chus Regulus, maximus consul romanus[Page 171]

a Carthaginensibus fuisse captus et Romani multos  
iuvemes Carthaginenses cepissent, missus est Romam dictus Regulus  
pro commutatione captivorum sub iuramento redeundi, si forte dicta  
commutatio fieri non licet. dum igitur Romam venisset,  
contionatus est in senatu quod illa talis commutatio nullo modo  
ad utilitatem rei publice proveniret, ex eo quod ipse esset senectute  
confectus ec cito moriturus, illi autem essent adolescentes in  
bello fortes et multam adhuc possent mollesciam Romanis  
inferre. et ideo non consulebat quod ista talis commutatio  
fieret. dixit etiam quod nolebat ut propter se decretum Romanorum  
infringeretur, quod ordinatum et firmatum erat, ut quicumque  
Romanus de prelio fugeret, capite puniretur et quicumque se  
in prelio vivum et armatum capi permitteret, nunquam redimeretur.  
et ideo, cum ipse captus fuerit vivus, non erat redimendus.  
et cum ab amicis rogaretur ne illuc rediret, ipse tamen  
propter iuramentum redire voluit, qui crudelissima morte ab eis  
interfectus fuit. ecce quia iste utilitatem suam propriam utilitati  
communi postposuit. utile quidem sibi fuisse redimi et de  
carcere liberari, sed rei publice fuisse damnum, quia iuvemes  
Carthaginenses, qui dimissi fuissent, multa Romanis incomoda  
intulissent. ideo dicit Tullius in libro De Officijs[Page 172]

quod Plato dedit tuo precepta ad rem publicam conservandam.  
unum est ut utilitati communi sint omnes intenti,  
propriorum comodorum oblii. secundum ut totum corpus rei  
publice current ne unam partem foveant et aliam deserant.  
quod vero pro re publica conservanda quis interdum se morti  
debeat exponere, ostendit Augustinus in libro De Civitate  
Dei, et Valerius Maximus. dicunt enim quod cum instaret bellum  
inter Athenienses et Pollopenses et accepissent responsum a diis  
suis quod illi essent victores, quorum rex in prelio occideretur, audiens  
hoc Codrus, rex Atheniensium, transivit ad hostes  
in habitu pauperis ferens sarmenta humeris et falcem ad cingulum.  
cum igitur quendam militem de hostibus cum falce provocasset,  
ille in eum insurrexit et protinus interfecit. cumque adversarij  
corpus Codri regis cognovissent, memores responsi quod dii fecerant,  
territi fugerunt et sic Athenienses victoriam habuerunt.  
ideo Tullius in libro De Officijs querit: "Si duo sapientes  
naufragium passi in tabula una consistant, que utrumque deferre  
non potest, quid facere debemus?". et respondit quod  
minus sapiens debet cedere magis sapienti, ex eo quod rei publice utilior[Page 173]

invenitur. legitur quoque in ystorijs Romanorum, et  
Augustinus in libro De Civitate Dei idem tangit, quod  
quodam tempore per duos annos magna pestilentia Rome fuit. tandem  
in medio Urbis terra se apperuit, vorago magna facta  
fuit, ita ut quodammodo infernalia loca paterent. cumque  
omnes subversionem Urbis formidarent, ecce quedam vox de illa  
voragine insonuit, dicens quod si Romani volebant ut Urbs sanaretur,  
precipiebant dii ut aliquis nobilis Romanorum in illam  
voraginem mitteretur ad eos. ordinatum est igitur in senatu  
ut quicumque pro salute Urbis in illam foveam precipitem se  
daret, statuam eneam in foro haberet. cum igitur nullus  
inveniretur, ecce quidam miles nobilissimus, nomine Mercurius,  
optimis armis munitus, equum ascendens in illam foveam precipitem  
se dedit, statimque illa fovea clausa fuit et pestilentia  
tota cessavit. ecce quia isti duo pro salute patrie morti[Page 174]

se dederunt. quod autem pro re publica defendenda liceat patri  
contra fines et filio contra patrem arma levare dicit Tullius  
in libro De Officijs, ubi querit si pater conatur patriam scindere  
vel hostibus tradere, utrum filius debeat silere. et respondit  
Tullius quod filius primo debeat patrem rogare  
quod desistat, et si non valent preces, debeat addere minas, quod  
scilicet ipsum principi accusabit; et si nec per preces nec per minas  
pater vult desistere, debeat filius se patri opponere et pro defensione  
patrie debeat contra patrem arma levare. iste tamen celus,  
quod cives rem publicam debent celare, debeat esse  
discretus ut scilicet pro re publica nunquam faciant aliqua iniusta  
vel in honesta, quantumcumque videantur esse utilia. olim  
quidem inter sapientes et philosophos questio magna fuit,

utrum scilicet utile debeat preponi honesto vel honestum utili, et diffinierunt quod semper honestum est omni utili preponendum et super hoc .IILlor. adducebant exempla. primum narrat Ambrosius in libro De Officijs dicens quod cum Macedones contra Athenienses classem maximam navium direxissent,[Page 175]

venit quidam nuntius de exercitu ad Athenienses dicens quod duos sapientes sibi darent, quibus rem manifestaret, que ipsis multum utilis esset. cum igitur sapientes electi fuissent, dixit eis quod Macedones in tali loco classem suam posuerunt et ideo, si nocte et clanculo illuc pergerent, totam illam classem navium comburere possent. tunc illi duo sapientes ad conctionem expectantem intraverunt dicentes: "Illud quod nobis homo iste dixit est quidem utile, sed non est honestum. si igitur vultis quod utile vincat, faciendum est quod dicit; si vero vultis quod vincat honestum, non est faciendum". statimque omnes una voce clamant dicentes: "Vincat honestum, vincat honestum". et sic repudiata fuit illa victoria, quia non fuisse cum virtute acquisita. et subdit Ambrosius: "Maluerunt enim minus posse honeste quam plus turpiter". aliud exemplum narrat idem Ambrosius in eodem libro et Annetus Florius in Ystorijs Romanorum. dicunt enim quod cum Pirrus rex et[Page 176]

Fabricius consul Romanorum, magno exercitu congregato, ad invicem pugnaturi essent, venit medicus Pirri regis ad Fabritium et dixit ei quod regi medicinam venenatam daret, et sic, rege mortuo, ipse victoriam optineret. quod audiens Fabritius talem victoriam detestatus est, quia non honeste sed proditorie eam fuisse assecutus. quocirca dictum medicum, tanquam proditorem domini sui, fecit ligari et ad dominum suum mitti. et subdit Ambrosius: "Revera preclarum ut qui virtutis certamen susceperat, nolle fraude vincere". quod cum rex cognovisset, medicum illum occidit, et ait: "Iste est Fabritius, qui sicut sol non potest retrahi a cursu suo, sic nec ipse a legalitate sua". et ideo cum Fabritio ad suam voluntatem composuit. tertium exemplum est de Regulo, maximo consule Romanorum,[Page 177]

qui iuraverat ad carcerem redire, prout in presenti titulo dictum est. utile quidem sibi fuisse ad carcerem non redire, sed non fuisse honestum propter iuramentum. quartum exemplum ponit Valerius de Camilo duce romano, qui cum quandam civitatem obsideret, quidam magister artis gramatice, docens filios nobilium, extra urbem causa spatiandi deduxit et in manus hostium tradidit. quod cum Camilus audisset, factum abhorruit dicens: "Nos Romani virtute et armis vincere cupimus et bellum sicut et pacis iura servamus, nec contra puerilem etatem, quibus etiam captis urbibus parcitur, sed contra rebelles arma levamus". iussit igitur ipsum ligatum pueris tradi et ad parentes suos deduci. quod cum illi audissent, Romanis portas aperuerunt et cum eis composuerunt. ista autem res publica melius augmentatur, promovetur et regitur probitate morum et magnanimitate virtutum, quam copia divitiarum, multitudine populorum, habundantia equorum sive armorum. istud ostendit Cato eleganter atque diserte. non ille Cato, qui libellum composuit puerorum, sed ille Cato famosissimus, qui inter latinos[Page 178]

philosophos fere optinet principatum. iste Cato partes Pompei contra Cesarem adiuvabat, ex eo quod Cesarem hostem rei publice reputabat. cum igitur audisset quod dictus Cesar de Pompeio optimusset victoriam, tante fuit magnanimitatis, quod venenum et gladium sibi petijt. qui, austro veneno, gladium sibi infixit et vulnus dilatavit ne Cesarem rei publice hostem videret regnarem. hic igitur Cato, agens de re publica, ita dicit et verba eius beatus Augustinus in libro De Civitate Dei recitat, dicens: "Nolite, inquit Cato, existimare maiores nostros armis rem publicam ex parvis magnam fecisse. quippe, si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus. quippe sotiorum atque civium, preterea armorum et equorum maior copia nobis quam illis est. sed alia fuerunt, que ipsos magnos fecerunt, que nobis nulla sunt, videlicet domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, nec delicto nec libidini obnoxius". hec igitur Catonis verba quam sint verissima docet nos ipsa experientia, que veritatum omnium est magistra. constat enim quod nostri cives moderni[Page 179]

magis abundant in armis, equis, personis et divitijs,  
quam habundarent antiqui. et tamen nostri cives antiqui rem  
publicam melius sepe gubernabant quam nostri moderni,  
qui tot divitijs modo abundant. sepe enim inter nimias divitias  
et rerum opulentias res publica periclitatur. unde dicit Augustinus:  
"Qui prudenter attendunt, plus dolent paupertatem quam  
opulentiam perisse Romanam. in paupertate enim morum integritas  
servabatur; per opulentiam vero non muros urbis, sed  
mentes hominum ipsius civitatis dira nequitia, omni peior hoste, corrupit".  
unde poeta: "Nullum crimen abest facinusque libidinis[Page 180]

ex quo paupertas Romana perit". patet igitur ex verbis  
Catonis quod ista .III.or., scilicet habundantia armorum et equorum,  
personarum et divitiarum, non sunt causa quare res publica  
strenue administretur, sed alia .IIIlor., que ipse sub infert. primum  
est ut ipsi cives sint industrij circa domestica, ut scilicet domum  
suam bene sciant componere et ordinare. quia, sicut dicit  
Apostolus, qui suorum et maxime domesticorum curam non habet,  
fidem negavit et est infideli deterior. sepe autem contingit  
quod, quando dominus domus est in se inordinatus, totam familiam  
habet inordinatam. unde dicitur in Ecclesiastico: "Secundum  
iudicem populi sic et ministri eius, et, qualis est rector civitatis,  
tales et inhabitantes in ea". ille enim, qui in domo  
sua non est ordinatus, non potest alios ordinare. unde refert  
sanctus Ieronimus quod Gorgias, magnus philosophus, habebat  
uxorem turpem et ancillam formosam, et quamvis ille esset castissimus,  
uxor tamen, eius celotipa, eum de ancilla suspectum habebat  
et eum cotidianis iurgiis molestabat, ita quod in domo  
sua pacem habere non poterat. dictus autem Gorgias fecit librum  
pulcherrimum, qualiter Greci, inter se discordes, ad invicem pacificari  
possent. cum igitur librum illum coram alijs philosophis[Page 181]

et sapientibus recitaret, quidam famulus suus dixit: "Iste  
homo vult concordare totam Greciam, qui tamen non potest concordare  
domum suam. quia, cum tantum sint tres in una domo,  
ipse scilicet, uxor et ancilla, tamen ad invicem pacificari non  
possunt". secundo debent habere et servare quo ad omnes  
alios iustitiam. est autem iustitia virtus, que reddit unicuique  
ius suum. ille igitur est iustus, qui superiori dat reverentiam,  
equali concordiam, inferiori instructionem et disciplinam,  
amicis benivolentiam, inimicis patientiam, miseris et afflictis  
compassionem operosam. tertio non debent esse vitiiis subiecti,  
parum enim prodesset rei publice si hedificia starent  
et mores corruerent. unde dicit Augustinus quod Scipio non  
censebat rem publicam esse felicem stantibus menibus et ruentibus  
moribus. quarto debent esse liberi in consulendo, quia  
libere debent dicere et consulere veritatem. sed multi sunt qui  
aut propter timorem aut propter munera acceptionem tacent veritatem.  
refert Elinandus, qui fuit doctor magnus, quod[Page 182]

dum Philippus, rex macedo, Atheniensibus multas iniurias et  
molestias inferret et inter eos lis maxima verteretur, tandem  
de communi consensu ordinatum est ut quelibet pars unum  
acciperet advocatum. Athenienses igitur pro suo advocate  
acceperunt Demostenem, qui erat sapientissimus et facundus,  
cuius eloquentiam omnes advocati et iudices formidabant. quod  
cum audisset rex Philippus, timuit vehementer ne propter  
suam facundiam ipse suam perderet causam, propter quod  
magnum pondus argenti ad Demostenem destinavit, rogans ut  
nec pro se [nec pro] Atheniensibus allegaret, sed solum taceret.  
ille vero, avaritia depravatus, argentum accepit et se taciturnum  
esse promisit. apropositante igitur termino, miserunt Athenienses  
ad Demostenem, ut ad locum ordinatum pergeret et causam  
ipsorum defenderet. quod cum ipse presensisset, simulans langorem,  
in lectum se proiecit et cepit fortiter exclamare se pati  
scinatem. tunc unus ex nuntiis Ateniensium, qui audiverat  
de accepto argento, sibi respondit dicens: "Ecce, Demostenes,  
non pateris scinatem, sed argentinatem". et  
sic ille, depravatus cupiditate pecunie, tacuit veritatem iustitie.  
dicit idem Elinandus quod, si lingua iudicis funiculis argenteis[Page 183]

fuerit ligata, statim efficitur muta et tamen, sicut peccatum  
est mendacium dicere, ita et veritatem tacere. unde dicit beatus  
Augustinus: "Uterque reus est apud Deum et qui veritatem  
occultat et qui mendacium dicit. ille, quia prodesse non

vult; iste, quia nocere desiderat". capitula none partis.  
Sequitur nona pars, in qua agitur de re familiari et domestica,  
et ista pars habet sex capitula. in primo capitulo ponitur  
qualis uxor sit ducenda et qualiter cognosci poterit que sit bona vel  
non. in secundo qualiter sit custodienda. in tertio qualiter  
mutuo se debent diligere. in quarto quod debent pacifice  
habitare. in quinto qualiter parentes debent se habere ad filios,  
et filij ad parentes. in sexto qualiter domini se debent habere  
ad famulos sive servos, et servi ad dominos. qualem uxorem  
debent ducere viri et qualiter cognosci poterit que sit bona  
vel non. [capitulum primum].

Non tantum cives debent habere ordinatam rem publicam, sed  
etiam rem familiarem [et] domesticam. que quidem tunc  
est ordinata quando ipsi coniuges inter se sunt ordinati et habent  
familiam ordinatam. ordinatio autem rei familiaris et domestice  
multum dependet a bona et sapiente uxore, iuxta illud quod dicit[Page 184]

Salomon: "Sapiens mulier edificat domum suam, insipiens manibus  
suis eam destruet". et ideo vir multum laborare  
debet ut uxorem bonam et sapientem habere possit. et quamvis  
uxor sapiens detur a Deo, quia, sicut dicit Salomon, domus et divitie  
dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens,  
debet tamen vir accepturus uxorem diligenter requirere de eius  
moribus et conditione. istud autem qualiter fieri debeat ostendit  
sanctus Iohannes Crisostomus, dicens quod ille qui vult  
uxorem accipere, debet considerare si illa puella, quam vult accipere,  
habet ambos parentes bonos vel ambos malos, vel unum bonum et  
alterum malum. si ambo parentes sunt boni, secure eam accipiet,  
quia bona arbor fructus bonos facit. si ambo sunt  
mali, omnino eam dimittat, quia non potest arbor mala fructus  
bonos facere. si vero alter est bonos et alter malus, quid facturus  
sit timeat et videat diligenter. verumtamen, si pater est malus[Page 185]

et mater bona, minus debet timere eam accipere. si vero, e contrario,  
pater est bonus et mater mala, magis debet timere eam  
accipere, et ratio est quia puelle magis conversantur cum matribus,  
quam cum patribus, et ideo magis consueverunt imitari mores  
maternos, quam paternos. vir igitur accepturus uxorem non  
debet tantum respicere ad eius divitias sicut faciunt avari, nec ad  
eius pulcritudinem sicut faciunt iuvenes lascivi, sed ad morum  
ipsius honestatem sicut faciunt sapientes et discreti. non debet  
igitur vir tantum respicere ad eius divitias, unde dicit sanctus  
Iohannes Crisostomus: "Tu, iuvenis, quando uxorem ducere  
vis, noli querere divitem, sed bene morigeratam, quia boni  
mores divitias semper acquirunt, divitiae autem bonos mores[Page 186]

nunquam fecerunt et glorirosior est paupertas fidelium quam  
divitiae peccatorum". quidam philosophus, nomine Aureolus  
Teophastus, querit utrum homo debeat potius ducere uxorem  
divitem quam pauperem, et dicit quod ille, qui dicit uxorem  
divitem, ponit in domo sua tempestatem, quia uxor dives vult esse  
domina viri et ipsum die ac nocte iurgijs molestabit et suas  
divitias sibi improperabit. propter hoc dicit Salomon: "Melius  
est sedere in angulo domatis, quam cum muliere letigiosa in  
domo communi". doma proprie est tectum domus, ubi passeress  
et yrundines nidificare consueverunt. vult ergo dicere Salomon  
quod melius est habitare in tecto domus cum passeribus et  
yrundinibus, quam in medio domus cum litigiosa muliere; quia  
peius est letigium mulieris, quam garitus yrundinis. et sicut  
vir non debet respicere ad divitias in uxore, sic et uxor potius debet[Page 187]

habere virum bene morigeratum et sapientem, quam divitem.  
unde quidam interrogavit Themistidem phylosophum, cuinam  
libentius filiam suam traderet in uxorem, an homini pauperi sed  
etiam moribus ornato, an homini diviti et parum probato, qui  
respondit: "Malo filiam meam tradere viro indigenti peccunia  
quam peccunie indigenti viro". non debet enim vir accepturus  
uxorem respicere de eius pulcritudinem sicut faciunt iuvenes  
lascivi, quia ipsa pulcritudo in muliere est periculosa intuenti  
et habenti. intuenti quidem, quia sepe decipit hominem intuentem.  
unde dixit Salomon: "Fallax gratia et vana est pulcritudo.  
mulier timens Dominum ipsa laudabitur". est etiam  
periculosa mulieri habenti, quia, sicut dicit Salomon: "Circulus  
aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua". quando mulier  
est fatua et turpis, non est periculum, quia nemo eam sollicitat.

quando etiam est pulcra et sapiens, similiter non est periculum,[Page 188]

quia sapienter se custodit. sed quando est pulcra et fatua, tunc  
est periculum, quia, sicut sus habens circulum aureum in naribus  
vel in collo, cum illo auro in lutum se proicit, sic mulier fatua,  
habens pulcritudinem, se cum illa pulcritudine in fetorem immunditie  
se immergit. querit supradictus philosophus

Aureolus si vir potius debet ducere uxorem pulcram, quam  
turpem, et respondit quod pulcra ab omnibus adamatur, turpis  
vero ab omnibus despicitur. et ideo difficile est custodire pulcram,  
quam omnes habere desiderant; molestum est autem turpem  
tenere, quam nullus vult videre. et ideo ille, qui habet uxorem  
pulcram, semper erit in timore, et ille, qui habet turpem,  
semper erit in dolore. propter hoc medium est tenendum, ut  
nec nimis pulcra nec nimis turpis uxor ducatur, ne aut timor  
nimis sollicitet propter pulcram, aut dolor nimis excruciet propter[Page 189]

fedam. non igitur attendendum in uxore ad divitias vel  
ad pulcritudinem, sed ad morum honestatem, ut scilicet mulier sit  
honesta et pacifica, non litigiosa et clamorosa, quia, sicut dicit  
Salomon, tecta perstillantia in die frigoris et litigiosa mulier comparantur.  
quando vir est in lecto et est magnum frigus, si tectum  
perstillaret et stillicidia super eum caderent, plurimum  
molestaretur. ita vult dicere Salomon quod mulier litigiosa est viro  
sicut stillicidia, que in die frigoris cadunt de tecto, que  
inquietant hominem existentem in lecto. refert sanctus Ieronimus  
et Seneca quod Socrates philosophus, licet esset sapientissimus,  
erat tamen corpore turpis et fedus. iste habebat duas  
uxores, que de ipso celotipe multum erant. dum igitur  
quadam die Socrates eas reprehenderet quod de se tam turpi celotipe  
essent, ille indignate in eum impetum fecerunt et per capillos ad  
terram trahentes, ipsum verberibus affecerunt. quadam etiam die,  
dum una illarum magnas intonationes super eum fecisset, ille  
nichil sibi respondere voluit, sed de domo recedens, super quandam  
trabem, muro domus sue adherentem, sedere cepit. tunc illa  
caldariam aqua plenam accipiens, totam illam aquam super  
caput viri effudit. Socrates vero, caput extergens et ad  
eam respiciens, dixit: "Ego bene sciebam quod post tonitrua pluvia  
sequeretur". cum igitur amici sibi consulerent ut[Page 190]

illas uxores, que eum sic molestabant, a se expelleret, dixit: "Nequaquam  
faciam, quia mihi faciunt magnam utilitatem, ex eo  
quod me faciunt patientem. nam disco in domo patientiam  
ut ipsam in foro exhibeam". qualiter viri debent uxores  
suas custodire. [capitulum secundum].  
Quia mulier est magis fragilis quam vir, ideo mulieri est  
maior custodia adhibenda quam viro. nam, sicut dicit sanctus  
Iohannes Crisostomus, mulieres sunt magis incaute quam viri et  
ideo citius decipiuntur. sunt magis molles et ideo ad bonum  
et ad malum citius flectuntur. sunt magis fragiles et citius  
superantur. et propter hoc dyabolus, volens decipere primos parentes,  
non est agressus virum sed mulierem, sciens quod mulier  
facilius deciperetur quam vir, ex eo quod est sexus incautior  
[et] citius flecteretur, ex eo quod est sexus mollior et[Page 191]

facilius vinceretur, ex eo quod est in libro De decem cordis:  
mulieri adhibe sunt .IIIlor. custodie, viro autem tantum una.  
prima custodia est timor Dei, qui ipsam debet retrahere  
a peccato, quia, sicut dicit Salomon, per timorem Domini declinat  
omnis homo a malo. secunda est custodia viri, quia vir  
uxorem suam custodire debet, nam, sicut dicitur in Ecclesiastico:  
"Si uxor non ambulaverit ad manum tuam, confundet  
[te] in conspectu inimicorum tuorum". tertia est verecundia  
mundi, quia magna verecundia et confusio est mulieri  
quando in adulterio deprehenditur. ideo dicit Salomon: "Mulier  
diligens corona est viro suo, et putredo in ossibus eius que confusione  
res dignas gerit". quarta est terror legum publicarum,  
que uxores fornicarias dampnant. unde dixerunt Iudei  
Christo: "Magister, hec mulier modo deprehensa est in  
adulterio. in lege autem mandavit nobis Moyses huiusmodi  
lapidare". vir autem habet tantum super se unam custodiā,[Page 192]

scilicet timorem Dei, per quem debet retrahi a peccato. non  
enim habet custodiā uxor, quia de illius custodia non curat,  
nec timet verecundiam mundi, ymo aliquando de hoc se

iactat. unde dicit Augustinus: "Tanta est perversitas humani generis, ut aliquando metuendum sit ne castus erubescat apparere inter impudicos". non timet etiam penam legum, quia leges non dampnant viros fornicarios sicut uxores fornicarias. querit autem supradictus Aureolus philosophus utrum mulier a viro sit custodienda, et dicit et respondet quod nichil prodest viri custodia, quia uxor aut est bona aut est mala. si est bona non debet custodiri, si est mala non poterit custodiri. quamvis autem\*[Page 193]

iste philosophus sic dicat, nos tamen dicimus quod sunt quedam uxores que sunt probate, quedam que sunt suspecte, quedam que sunt medie. ille, que sunt probate, non sunt custodiende, sed sunt sue libertati per omnia relinquende. reffert sanctus Ieronimus in libro Contra Iovinianum quod, cum quidam magnus consul romanus, nomine Divelius, quandam nobilem puellam in uxorem iuvenis accepisset et ipse os fetidum multum haberet, quadam vice, dum iam esset senex, fuit sibi improperatum quod ipse habebat os fetidum. rediens igitur domum, conquestus est uxori sue quare hoc sibi aliquando non dixerit, ut ipse remedium et medicinas adibuisse. que respondit: "Fecissem, domine, nisi quia credebam quod omnes homines talem flatum haberent". ista igitur, que sic erat probata, non erat custodienda. alie sunt suspecte, et iste sunt custodiende et legibus artande. et quamvis totaliter non possint custodiri, possunt[Page 194]

tamen sepe a multis malitijs impediri. unde dicit Dominus per Oseam prophetam de muliere fornicaria: "Ecce ego sepiam vias suas spinis, et semitas suas non inveniet et sequetur amatores suos et non apprehendet eos". tunc vir vias impudice mulieris cum spinis sepit, quando multas cautelas et impedimenta sibi opponit. quedam autem uxores sunt medie, que nec adhuc sunt bene probate nec omnino suspecte. iste nec sunt nimis artande nec nimis relaxande, sed prius sunt probande. si enim amicus, antequam homo confidat de eo, est probandus, multo fortius uxor. ideo dicitur in Ecclesiastico: "Si possides amicum, in temptatione idest in probatione posside eum et ne facile credas ei te ipsum". quod viri et uxores debent se mutuo diligere. [capitulum tertium]  
Dilectio mutua inter virum et uxorem necessaria est. nam viri debent diligere uxores suas. ideo dicit Apostolus in epistola Ad Ephesios: "Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam". non enim vir debet uxorem suam timere tanquam dominam nec sibi eam subicere tanquam ancillam, sed eam diligere tanquam sororem et sotiam. ideo prima mulier non est facta de capite viri, quia non debebat esse eius domina; nec de pede viri, quia non debebat esse eius ancilla; sed de latere[Page 195]

viri, quia debebat esse sibi equalis et sotia. similiter uxor debet diligere virum, unde dicitur in Tobia quod parentes monuerunt filiam suam ut honoraret soceros et diligeret maritum et regerer familiam et gubernaret domum. iste autem amor debet esse discretus ex parte viri et perfectus ex parte uxoris et precordialis ex parte utriusque. primo quidem iste amor debet esse discretus ex parte viri, quia vir debet diligere uxorem suam discrete et ordinate, quod est contra multos, qui uxores suas nimis ardenter et inordinate amant. contra quos dicit Seneca: "Amor forme mulieris rationis oblivio est et insanie proximus, turbat consilia, altos et generosos spiritus frangit, a magnis cogitationibus ad humiliimas retrahit. origo quidem amoris honesta, sed magnitudo deformis". ideo dicit Sistus philosophus: "Adulter quidem est in suam uxorem amator ardentior". ille igitur[Page 196]

ordinate uxorem diligit, qui ab opere coniugali scit tempore debito abstinere et qui scit ibi culpam mortalem cavere. nam secundum Crisostomum in quatuor temporibus est a coniugali opere abstinendum. primo in tempore menstrui ex eo quod tunc sepe generantur filii ceci, claudi et leprosi sicut dicit sanctus Ieronimus, et istud est in precepto. secundo est abstinendum tempore pregnationis et partus. tertio, in temporibus sollemnitatum. quarto in temporibus ieuniorum, et ista omnia non credimus esse in precepto, sed in consilio. ille etiam uxorem suam ordinate diligit, qui in opere coniugali mortalem culpam cavere novit. nam commixtio coniugalnis aliquando nullam habet culpam, aliquando vero veniale, aliquando mortalem, aliquando mortalissimam. tunc enim nullam habet culpam quando fit intentione

prolis procreande, unde dicit sanctus Gregorius:

"Tunc coniuges in commixtione sine culpa sunt quando pro percipienda prole miscentur. habet autem culpam veniale quando fit causa concupiscentie explende, que causa concupiscentie ita est rationi subiecta, quod eam non expleret nisi cum propria uxore". unde dicit quedam glosa super epistulam sancti Pauli Ad Corinthios: "Coniugalis concubitus, qui fit gratia generandi[Page 197]

prolem, non habet culpam; quando autem fit causa concupiscentie satiande, sed tamen cum propria coniuge, habet culpam veniale". nichilominus autem potest habere culpam mortalem quando scilicet concupiscentia sic est immoderata, quod cum quacumque muliere sive cum propria sive cum aliena ipsam expleret. unde dicit Augustinus in libro Contra Iulianum: "Intemperatus in coniugio quid aliud nisi quidam adulter est?". tunc autem habet culpam mortalissimam quando vir abutitur uxore sua, unde dicit Augustinus in libro De Bono coniugali: "Ille usus, qui est contra naturam, execrabilis fit in meretrice, sed execrabilior in uxore". secundo iste amor debet esse perfectus ex parte uxorius, quia uxor debet diligere virum amore perfecto. istud autem sic ostendit sanctus Iohannes Crisostomus dicens: "Si vir habeat uxorem, hoc modo agnosceretur plena uxorius dilectio, quia uxor neminem debet putare sapientiorem, quam virum[Page 198]

suum; etsi alter sit sapientior, tamen illa sapientiorem esse intelligere non debet. uxor neminem fortiorum debet putare, quam virum suum; etsi alter sit fortior, illa tamen intelligere non debet alterum fortiorum. uxor neminem debet putare formosiorum, quam virum suum; etsi alter sit formosior, tamen non debet sibi apparere; perfectum enim odium et perfectus amor rerum iudicia non cognoscunt. nam si perfecte hodias aliquem, qualiacumque fuerint apud illum, omnia tibi mala videntur. si vero aliquem perfecte amas, quecumque sunt apud eum tibi placent, sive que loquitur, sive que agit. nam etsi mala sint, tamen tibi bona esse videntur". tertio iste amor debet esse precordialis ex parte utriusque, scilicet viri et uxorius. ideo uxor formata est de carne viri iuxta cor, ad innuendum quod vir debet uxorem suam amore precordiali diligere, et vir desponsat uxorem suam ponendo anulum in quarto digito, ubi est quedam vena, que a corde usque ad digitum illum se extendit, ad innuendum quod uxor debet virum suum ex vero corde amare. quod vir[Page 199]

et uxor debent pacifice vivere et concorditer habitare. [capitulum quartum] .

Multum est Deo acceptum quando vir et uxor pacifice et concorditer vivunt. ideo dicit sepe sanctus in Ecclesiastico: "In tribus beneplacitum est spiritui meo, que sunt probata coram Deo et hominibus: concordia fratrum, amor proximorum et vir et mulier sibi bene consentientes". dicit autem sanctus Augustinus super Psalterium quod quando vir et mulier ad invicem dissentiant, tunc in domo est turbatio multa. quando vero vir subicitur et uxor dominatur, tunc in domo est pax perversa. quando autem vir dominatur et uxor subicitur, tunc in domo est pax recta. potest etiam addi quartum: quando scilicet vir et uxor bene conveniunt, quia tunc est pax Deo et hominibus grata. quando autem vir et uxor male conveniunt, hoc aliquando est ex culpa viri, aliquando ex culpa[Page 200]

uxoris, aliquando ex culpa utriusque. est enim aliquando ex culpa viri, quando scilicet vir est uxori nimis austerus. ideo dicit Apostolus: "Viri, diligitе uxores vestras et nolite amari esse ad illas". aliquando est ex culpa uxorius, quando scilicet est nimis rixosa et nimis çelotipa. unde reffert sanctus Ieronimus in libro Contra Iovinianum quod quidam nobilis Romanus habebat uxorem a foris gratiosam, sed intus cum viro nimis litigiosam et çelotipam, quam vir tandem se expulit et eiecit. et cum a vicinis reprehenderetur quod uxorem sic gratiosam expulisset, ille pedem protendit dicens: "Videtis hoc calciamentum, a foris quidem multum est pulcrum et tamen intus me premit. videtis quidem calciamenti formositatem exteriorem, sed non videtis meum dolorem interiore. ita est etiam de uxore mea, que a foris coram vobis videtur esse pacifica, sed intus mecum est nimis molesta". aliquando vero ista turbatio causatur ex culpa utriusque, quando scilicet et vir est nimis severus et uxor nimis rixosa. tunc est in domo turbatio

magna. istud autem quod diximus per exemplum sensibilem demonstremus. si quis enim vult ferrum coniungere et unire alteri ferro, oportet quod utrumque per ignis exustionem[Page 201]

mollescat. si enim utrumque fuerit durum vel alterum ipsorum, tunc coniunctio vel unio fieri non valebit. eodem modo dicendum quod, quando vir et uxor sunt ambo duri, quia vir est severus et uxor mansueta vel e converso quando uxor est superba et vir mansuetus, tunc non poterunt convenire. oportet igitur quod utrique mollescant, ut scilicet vir habeat benignitatem et uxor mansuetudinem, et tunc fiet quod dicit Scriptura; quia multum placent Deo vir et uxor bene sibi consentientes. est attamen unus casus, in quo licet uxori iurgium facere contra virum, quando scilicet sciret virum suum esse fornicarium. tunc enim ipsum .IIIlor. modis a tali crimen debet retrahere, sicut dicit sanctus Augustinus in libro Quinquaginta omeliarum. primo ipsum caritative et dulciter admonendo; ostendendo scilicet pericula anime et corporis et rerum ad que tam inprovide se immittit. si enim uxor omnino taceret, tunc videretur consentire, unde dicit Augustinus ibidem: "Omnino ego moneo, ego precipio, ego iubeo, ymo Christus in me iubet: nolite viros vestros permittere fornicari". secundo debet[Page 202]

eum retrahere ipsum graviter obiurgando, quia, si non valent caritative admonitiones, debet facere graves obiurgationes.in ceteris quidem que facit vir, et uxor pacientiam habere debet, unde dicit Augustinus ibidem: "Aurum tuum vendit maritus? a ferto, femina, patienter. sed castum ipsum opta, pro castitate litiga. pereat villa tua, non anima ipsius te tacente pereat". tertio debet eum retrahere, Ecclesiam, idest episcopum, interpellando; quia, si non valent admonitiones, si non valent obiurgationes et tamen factum est publicum et notorium, debet uxor recurrere ad episcopum civitatis, ut virum suum terreat et sua auctoritate compescat. unde dicit Augustinus ibidem: "Nolite, pudicissime mulieres, viros vestros permittere fornicari. interpellate contra illos Ecclesiam, idest episcopum et prelatos Ecclesie, ad quos spectat publicos maritos fornicarios per excommunicationis sententiam cohercere". quarto debet ipsum retrahere ad Deum recurrendo, quia si supradicta non valent, debet ad Deum pro ipso preces effundere. debet etiam ad viros spirituales recurrere, ut pro viro suo ad Deum preces effundant. unde dicit Augustinus ibidem: "Non dico ut interpelletis contra viros vestros fornicarios iudices publicos nec proconsulem nec comitem nec imperatorem, sed Deum patrem[Page 203]

et Ihesum Christum, filium eius, et Spiritum sanctum". et quoniam possent aliquae uxores dicere: et quo vir meus fidem mihi non servat nec ego sibi servabo, ideo subdit sanctus Augustinus: "Nolite, castissime femine, imitari viros vestros impudicos, aut vobiscum vivant aut sine vobis pereant. impudico marito non debet mulier pudicitiam, sed Christo; non propter maritum hoc faciat, qui non meretur, sed propter Christum hoc faciat". qualiter parentes se debent habere ad filios et filij ad parentes. [capitulum quintum]. Quia res domestica est bene ordinata quando pater familias habet familiam ordinatam, ideo a filiis suis debet incipere et eos bonis moribus informare. debent quidem parentes filios suos diligere, debent ipsos in sua pueritia bonis moribus informare, debent ipsos delinquentes corrigere. primo quidem debent ipsos discrete diligere. sed notandum est quod ipse amor aliquando est bonus et meritorius, aliquando malus, aliquando indifferens. bonus quidem et meritorius est quando pater diligit filium, qui est bonus et iustus, vel ut sit bonus et iustus. tunc enim non diligit filium tantum quia filium, sed diligit Deum in filio. et tunc reducitur ad illud preceptum: "Diliges proximum tuum sicut te ipsum". aliquando ille amor potest esse malus, quando scilicet parentes propter amorem filiorum usuras faciunt, aliena rapiunt, que postea filiis causa perditionis existunt. unde ipsi filii de tali patre in inferno conquerentur,[Page 204]

unde dicitur in Ecclesiastico: "De patre impio conquerentur filii, quia propter illum [sunt] in obprobrium". aliquando vero ille amor potest esse indifferens, idest nec bonus sive meritorius, nec malus, [quando] scilicet pater non habet respectum ad filii malitiam, si est malus; nec ad filii gratiam, si

est bonus; sed tantum ad naturam, quia scilicet diligit filium ex eo quod est filius. et iste amor est ita naturalis, quod etiam communis est bestijs. unde dicit Augustinus [in libro] La Omeliarum:

"[Si] serpentes et lupi amant filios suos, non est laudandus qui filios amat, sed est detestandus qui non amat. si filios amas, serpentibus compararis; si filios non amas, a serpentibus vinceris". ipse autem amor naturalis est maior in parentibus respectu filij, quam sit in filio respectu parentum. et ratio est quia parentes de natura sua propria dederunt filiis corpus suum, filij autem parentibus in generatione sua nichil dederunt. et ideo parentes diligunt filios suos ut rem suam, ut carnem[Page 205]

suam, ut membra sua. videmus etiam quod humor arboris fluit a radice in ramos, non a ramis ad radicem. radix est pater, ramus est filius. et ideo amor a patre, qui est radix, magis fluit in filium, qui est ramus, quam a filio in patrem. iste etiam amor naturalis respectu filij maior est in matre, quam in patre; et una causa est quia illam rem plus diligimus, in qua maius ius habere nos scimus. quamvis enim filius quantum ad corpus, sit res propria patris et matris, tamen mater plus habet ibi de sua substantia, sicut dicit Philosophus, quam vir. et ideo maius ius in corpore filij habet, quam vir. secunda causa est quia illam rem plus diligimus, circa quam plus laboramus. mater autem plus laborat circa filios quam pater, tam in portando quam in pariendo, quam etiam in nutriendo. tertia causa est quia illam rem plus diligimus, quam certitudinaliter nostram esse scimus. mater autem pro certo scit quod filium talem de se generavit; vir autem, etsi credit, tamen certus non est quod sit de suo semine generatus. in hoc tamen differunt amor patris et[Page 206]

matris erga filium, quia mater plus dolet de filij adversitate et pater plus gaudet de filij prosperitate. mulier enim naturaliter magis patitur et compatitur quam vir, ex eo quod habet animum magis mollem, unde mulier dicitur quasi mollier. nam secundum Philosophum in libro De Animalibus, in omni genere animalium femine sunt moliores quam masculi, preter ursam et leopardam. quando igitur invenitur aliqua mulier severa et dura non potest dici femina, sed ursa vel leoparda. mulier enim naturaliter est frigida et humida et ideo de facile est passibilis. vir autem naturaliter est calidus et siccus, et ideo non sic de facili patitur et compatitur, et ideo in morte filij naturaliter plus dolet mater quam pater, quia homo habet cor magis magnatum[Page 207]

et ideo magnalia et sublimia magis appetit et amat. istud aperte ostendit Salomon dicens: "Filius sapiens letificat patrem, filius vero stultus mestitia est matris sue". ecce quia aperte dicit quod pater de filio sapiente habet letitiam, mater vero de filio stulto habet tristitiam. secundo ipsi parentes debent filios suos a sua pueritia bonis moribus informare. nam illam formam, quam induerunt in pueritia sua, semper retinent etiam in senectute sua. unde dixit Salomon: "Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senerit, non recedet ab ea". sunt enim ipsi pueri sicut mollis cera, quia de facili ad quodlibet bonum ducuntur. ideo in persona talium dicit Propheta: "Factum est cor meum sicut cera liquecens in medio ventris mei". sunt sicut recens testa, quia bonum odorem semper conservant, iuxta illud quod nova testa capit, inveterata sapit. sunt etiam sicut gracilis virgula, quia de facili ad bonum flectuntur. de quibus dicit Propheta: "Quorum filij sicut novelle plantationes in iuventute sua". tertio debent parentes filios suos delinquentes arguere, memores Hely sacerdotis, qui filios suos corripere[Page 208]

noluit, et ideo ipse cum filiis suis mala morte perijt. sunt autem quidam filij obedientes et boni. isti sunt de bono in melius promovendi, tales enim faciunt patri magnam consolationem et cordis delectationem. de quibus dicit Salomon: "Erudi filium tuum, et refrigerabit te et dabit delicias anime tue". alij sunt filij, qui, si aliquando offendunt, statim ad levem correctionem patris se corrugunt et patri obediunt. isti non sunt graviter obiurgandi, sed dulciter admonendi. de quibus dicit Apostolus in epistola Ad Ephesios: "Vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et in correctione Domini". non enim tales sunt provocandi, sed in disciplina, idest in morum honestate, sunt educandi. alij filij sunt duri et superbi et parentibus inobedientes.

tales sunt verberibus flagellandi. de talibus dicit Salomon: "Qui parcit virge, odit filium suum". qui autem diligit, illum instanter erudit. et in Ecclesiastico dicitur: "Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella". filij autem erga parentes humiliiter se debent habere, quia debent eos honorare, eis servire et subministrare; et ad hoc induci debent propter preceptum,[Page 209]

propter debitum et propter nature instinctum. primo quidem propter preceptum, quia Deus precepit dicens: "Honora patrem tuum et matrem tuam ut sis longevis super terram, et qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur". in nullo alio precepto Decalogi invenitur facta fuisse promissio servi, vel comminatio non servi, nisi in precepto parentum, ad significandum quod multum placet Deo quando parentes honorantur, et multum sibi displicet quando sibi honor non impenditur; et intelligitur ille honor non tantum malos urgendo, sed etiam in serviendo et subministrando. secundo filij debent induci ad serviendum parentibus propter debitum. ipsi enim a parentibus receperunt tria, scilicet esse et nutrimentum et documentum. quia igitur ab eis receperunt esse, debent eis magnam reverentiam. unde dicitur in Ecclesiastico: "Honora patrem tuum et gemitus matris tue ne obliscaris; memento quod nisi per illos natus non fuisses". iterum, quia ab ipsis receperunt nutrimentum, debent eis in subveniendo magnam diligentiam, ut, sicut parentes nutrierunt filios in iuventute, sic et ipsi nutriant parentes in senectute. unde dicitur in Ecclesiastico: "Fili, suscipe senectam patris tui". insuper, quia ab ipsis receperunt documentum, debent eis magnam obedientiam. unde dicit Apostolus: "Filii, obedite parentibus[Page 210]

vestris in Domino, hoc enim iustum est". tertio filij debent induci ad subministrandum parentibus per nature instinctum. natura enim omnes docet et instruit quod filij debent parentibus subvenire et quando sunt in necessitate positi et quando sunt senectute confecti et quando sunt mortui. et ad ista tria ostendenda ponit Valerius Maximus tria exempla. nam ad ostendendum quod filij debent parentibus subvenire quando sunt in necessitate positi, narrat quod cum quidam nobilis vir et potens et iam senex quoddam flagitium commisisset, noluit iudex propter honorem parentum ipsum publica morte punire, sed carceri ipsum inclusus ut ibi fame moreretur. filia vero eius, que erat nupta, de licentia iudicis eum cotidie in carcere visitabat. prius tamen ea diligenter prescrutari faciebat ne aliquid comestibile sibi deferret. illa vero, extracto ubere, singulis diebus de lacte proprio patrem nutriebat. cum vero iudex miraretur quod ille tanto tempore viveret, precepit ut custodes respicerent per rimas hostij quando filia cum patre erat. et videntes quod patri lac propinabat, hoc iudici nuntiarunt. ille autem, pietate commotus, patrem filie condonavit.[Page 211]

ad ostendendum autem quod filij debent parentibus subvenire quando sunt senectute confecti, ostendit idem Valerius per exemplum ciconie, dicens quod quando ciconie senescunt, filij ponunt parentes in nido et velut infantes iuxta pectus suum collocant, fovent et nutrunt. soli autem vultures parentes suos fame mori permittunt. ad ostendendum autem quod filij de parentibus mortuis debent curam agere et eis sepulturam debitam preparare, ostendit hoc dictus Valerius exemplo Scitarum, dicens enim quod cum Darius rex fines Scitarum invasisset et sepulcra parentum suorum invadere vellet, miserunt ei Scite quod depopulationem agrorum et vinearum equanimiter ferrent, sed si sepulcra parentum contingeret, tunc potentiam Scitarum et vires sentiret, quia pro ipsis defendendis mori parati essent. quod audiens Darius, sepulcra parentum illorum invadere vel infringere ausus non fuit. qualiter domini se debeat habere ad famulos sive servos et servi ad dominos. capitulum .VIm.[Page 212]

Postquam pater familias rem domesticam ordinavit quantum ad uxorem et filios, debet etiam ipsam ordinare quantum ad servos. dicunt autem doctores quod sunt .IIIlor. genera servorum. quidam enim sunt de ancilla nati, quidam in prelio acquisiti, quia, sicut dicit beatus Petrus: "A quo quis superatus est, huius et servus est". unde tales dicebantur servi a servando, quia ab hostibus servabantur ne occiderentur. alij sunt servi conductitij, qui sub pensione annua conducuntur; alij sunt emptitij, qui

pecunia emuntur. omnes istos servos Paulus in epistola Ad Ephesios instruit dicens: "Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed sicut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo". sed notandum quod sunt quidam servi sensati, quidam pigri et otiosi, quidam vero malitiosi. servi sensati sunt valde diligendi, unde dicitur in Ecclesiastico: "Servus sensatus sit tibi [dilectus] sicut anima tua". de talibus dicit Salomon: "Servus sapiens dominabitur filiis stultis et inter fratres hereditatem dividet". servi vero pigri et otiosi sunt continuis laboribus exercendi. unde dicitur in Ecclesiastico: "Operatur in disciplina et querit requiescere, laxa manus illi, et querit libertatem. iugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes[Page 213]

assidue. mitte illum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas". servi vero malivoli et malitiosi sunt duris abstinentijs, compedibus et verberibus cohercendi, unde dicitur in Ecclesiastico qualiter autem sint per abstinentiam macerandi. dicitur in Ecclesiastico: "Cibaria et virga et onus asino, panis et disciplina et opus servo". quod sint cumpedibus astringendi dicitur ibidem: "Servo malivolo tortura et compedes". quod vero sint verberibus flagellandi dicitur in eodem libro: "Non confundaris", idest non timeas ne verearlis "servo pessimo latus sanguinare", idest usque ad sanguinem verberare. quamvis autem servi, quocumque nomine censeantur, sive de ancilla nati, sive in prelio acquisiti, sive conductiti, sive emptiti, sint dominis suis inferiores, tamen quantum ad quinque inveniuntur equales. prima equalitas attenditur ex parte principij, quia omnes, tam servi quam liberi, de terra sunt creati et nudi et plorando nati. unde dicitur in libro Sapientie: "Sum quidem et ego mortalis homo similis omnibus et ex genere terreno illius, qui prius factus est, et in ventre matris figuratus sum caro et primam vocem similem omnibus emisi plorans. nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium". secunda equalitas[Page 214]

attenditur ex parte medij, quia omnes, tam liberi quam servi, eundem locum habent scilicet eundem mundum, eandem terram, eundem aerem. unde dicitur in eodem libro Sapientie: "Ego natus accepi communem aerem et in similiter factam decidi terram". tercia equalitas attenditur ex parte finis, quia omnes, tam liberi quam servi, moriuntur, in cinerem resolvuntur et putrescent. unde dicitur in eodem libro Sapientie: "Unus ergo introitus est omnibus ad vitam et similis exitus". unde dicit sanctus Ciprianus: "Vobis dominis atque senis est eadem sors nascendi, conditio una moriendj, corporum macerias similis, animarum ratio communis, equali iure, equali lege venitur in istum mundum et de mundo postea receditur". quarta equalitas attenditur ex parte dominij, quia omnes, tam liberi quam servi, habent unum Dominum. unde dicit Apostolus in epistola Ad Ephesios: "Vos, domini, servis vestris remittite minas, scientes quia illorum et vester Dominus est in celis, et personarum acceptio non est apud[Page 215]

Deum". ideo dicit sanctus Iob: "Magnus et parvus ibi sunt, scilicet sub dominio Dei, et servus liber a domino suo". quinta equalitas attenditur ex parte iudicij extremi, quia omnes, tam liberi quam servi, ad iudicium Dei venient et de omnibus factis suis rationem reddent, et ibi gloriam vel penam recipient. unde dicit Apostolus in epistola Ad Chorinthios: "Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Domini nostri Ihesu Christi, ut refferat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum sit". et in epistola Ad Ephesios dicit idem Apostolus: "Unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus sive liber". capitula decime partis. Sequitur decima pars, in qua agitur de spirituali regimine civitatis Ianue. et ista pars habet duo capitula. in primo capitulo ostenditur quo tempore fuit episcopali honore decorata. in secundo ostenditur quo tempore fuit archiepiscopali [honore] sublimata. quando et quo tempore civitas Ianuensis fuit episcopali honore decorata. [capitulum primum]. Quamvis per aliquam ystoriam tempus non inveniamus expressum quando civitas Ianuensis habere meruit episcopatum,

credimus tamen quod quando principes Apostolorum, scilicet Petrus et Paulus, Rome presidebant, tunc dignitate episcopali[Page 216]

meruit decorari. ratio autem, que nos movet ad hoc credendum, est ista. constat enim Apostolos istam consuetudinem habuisse, quod quando aliquae civitates vel aliqui de ipsis civitatibus ad fidem Christi veniebant, mox ipsi Apostoli eis episcopos destinabant. unde beatus Petrus illis, qui fuerant conversi in civitate Ravenne, statim sanctum Appolinarem in episcopum dedit. Marchus evangelista illis, quos converterat apud Aquileiam, sanctum Hermagoram episcopum ordinavit. illis autem, quos converterat apud Alexandriam, sanctum Anianum in episcopum assignavit. sanctus quoque Paulus apostolus per omnes civitates, quas convertebat, episcopos ordinabat. unde et Thimotheum fecit episcopum apud Ephesim et Titum apud Cretam. ostendimus autem supra per auctoritates et rationes quod prima civitas Ytalie, vel una de prioribus in qua fides Christi fuit publice recepta et in qua fuerunt Dei sacrificia primo publice celebrata, fuit civitas Ianue. fuit autem ad fidem Christi[Page 217]

conversa, ut supra dictum est, circa annos Domini .XXXV. post Christi passionem. et illo tempore principes Apostolorum, scilicet Petrus et Paulus, Rome adhuc in carne vivebant. et ideo satis credendum est quod beatus Petrus, qui erat papa quando audivit civitatem Ianue ad fidem Christi esse conversam, ad ipsam civitatem aliquem episcopum destinavit. si enim Apostoli ad civitates conversas et remotas episcopos mittebant, verisimile et probabile est quod ipsi principes Apostolorum, qui erant Rome, ad civitatem Ianue ad fidem conversam et satis vicinam episcopum transmiserunt. ista autem ratio fulcitur et roboratur per aliam rationem. constat enim quod omnes ystoriographi antiqui, qui ante Christi adventum scripserunt, quando volunt de Ianua facere mentionem, non appellant ipsam civitatem, sed vocant ipsam oppidum sicut Titus Livius. postquam autem fuit conversa, civitas est appellata sicut patet in legenda sancti Naçarii, in qua urbs sive civitas nuncupatur. Naçarius vero anno .XXXV. vel circa post Christi passionem in Ianua predicavit et ipsam civitatem aut tunc ad fidem Christi convertit aut iam conversam in fide confirmavit, sicut superius est ostensum. ex tunc autem civitas est vocata, et ideo videtur quod ex tunc fuit episcopali honore insignita. nam loquendo[Page 218]

proprie civitas non dicitur nisi que episcopali honore decoratur. nomina tamen illorum episcoporum primitiorum non inveniuntur expressa. primus autem episcopus, cuius nomen exprimitur, fuit sanctus Valentinus, quem credimus extitis circa annos Domini .DXL. sicut infra dicetur. ante tamen Valentinum credimus alios episcopos extitis. dicitur in legenda sancti Valentini quod, mortuo episcopo Ianue, electus est in episcopum Valentinus, ex quo manifeste habetur quod ante Valentinum iam erat in Ianua episcopatus. quot autem episcopi, vel qui istum Valentinum precesserint, ignoramus, quia nusquam hoc scriptum invenire potuimus. quando et quo[Page 219]

tempore civitas Ianuensis fuit archiepiscopali dignitate sublimata. [capitulum secundum]. Mutatio dextere Excelsi facta fuit quando episcopatus Ianue in archiepiscopatum mutari promeruit, hoc quidem fuit satis dignum, iuris consonum et consentaneum rationi. sicut enim civitas Ianuensis multis civitatibus imperat, multis populis principatur et nulli nisi Deo quo ad omnia, et imperatori quo ad aliqua est subiecta, sic etiam decebat ut eius archiepiscopus nullius primatis esset suffraganeus, nulli nisi summo pontifici subiectus, sed ipse in alios episcopos suam iurisdictionem transfunderet, suam auctoritatem extenderet, multisque pontificibus presideret. videamus igitur quo tempore et qua de causa civitas Ianue archiepiscopali dignitate meruit sublimari. eo quidem tempore electus est canonice in summum pontificem Innocentius secundus, vir per omnia reverendus, contra quem quedam pars cardinalium quendam Romanum, nomine Petrum Leonis, scismatice elegit et Anacletum appellavit, cui etiam populus Romanus favorem et auxilium impendebat. ipse quidem Anacletus totum thesaurum Ecclesie rapuit et fautoribus suis dedit. quapropter dictus Innocentius propter potentiam illius Anacleti non valens in Urbe morari, super galeas Ianuensem

Ianuam est deductus, anno scilicet Domini .Mo.Co. XXXo.  
iste igitur Innocentius papa inter ceteros cardinales habebat quendam[Page 220]

cardinalem magne prudentie et honeste vite, nomine Syrus.  
et cum sedes Ianuensis tunc vacaret, ipsum Ianuensi  
ecclesie in episcopum ordinavit, nec alicui incredibile videatur  
quod aliquis cardinalis factus sit episcopus Ianuensis, quia legimus  
pluries alibi simile factum fuisse. tunc enim cardinales  
non erant in tanto culmine sicut modo cernuntur, sed quilibet episcopus  
preferebatur cuilibet presbitero vel dyacono cardinali. cum  
igitur dictus papa Innocentius moram aliquam in Ianua contraxisset,  
Ianuenses galeas armaverunt et ipsum usque in Franciam deduxerunt,  
ubi circa duorum annorum spatium moratus, tandem  
Ianuam est reversus. anno autem Domini .M.C.XXXII.,  
ad preces ipsius pape, Ianuenses stolum galearum armaverunt et  
ipsum papam Romam portaverunt, ubi favore et auxilio Lotarii  
imperatoris turres et fortitias in Urbe ceperunt, et Anacletum  
tirampnica intrusum de Urbe penitus expellentes, Innocentium  
in sede sua restituerunt. Romani autem, hoc videntes, ad mandatum  
domini pape humiliter redierunt. Ianuenses autem cum  
suo stolo galearum prospere Ianuam sunt reversi. et quoniam  
tunc temporis erat guerra et discordia magna inter Ianuenses[Page 221]

et Pisanos, dictus papa Cornetum ivit, mandans Ianuensibus et  
Pisanis ut suos ambaxatores sollempnes ad se mitterent, qui  
plena potestatem haberent. cum igitur ambaxatores Cornetum  
venissent, dictus papa eos ad invicem concordavit. misit  
etiam Syro episcopo Ianuensi ut ad suam presentiam  
apud Cornetum accederet, intendens ipsum et civitatem Ianue  
multipliciter honorare propter multa et magna servitia et beneficia  
que a Ianuensibus fuerat assecutus. cum igitur dictus Syrus  
episcopus Cornetum venisset, dominus papa archiepiscopatum concessit  
anno Domini .Mo.C.XXXIII., crucem quoque et pallium  
supradicto Syro dedit. insuper medietatem totius insule  
Corsice dedit in feudum communi Ianue pro una libra auri  
annis singulis Romane Ecclesie persolvenda. quem tamen censem  
Lucius papa postmodum communi Ianue remisit de gratia speciali[Page 222]

tres quoque episcopatus, qui erant in Corsica et erant suffraganei  
archiepiscopi Pisani, archiepiscopo Ianuensi dedit et suffraganeos  
eos fecit, scilicet episcopum Maranensem, episcopum  
Nebiensem et episcopum Acciensem. dedit quoque archiepiscopo  
Ianuensi alias suffraganeos, scilicet episcopum Bobiensem et episcopum  
Bruniacensem. Alexander vero tertius propter  
multa servitia, que a Ianuensibus receperat, Albiganensem  
episcopum fecit Ianuensi episcopo suffraganeum. Innocentius  
autem quartus Naulum in civitatem convertit et episcopum[Page 223]

sibi dedit et ipsum episcopum, ut esset suffraganeus Ianuensi  
archiepiscopo, ordinavit. ex tunc igitur vocata est provincia  
Ianuensis. olim quidem, sicut habetur in ystoria Longobardorum,  
Ianua erat scilicet de provincia illa que Alpes  
Chotie dicebatur. fuit enim quidam rex, qui Chochia  
nomen habuit et in partibus istis regnavit, et ab illo rege tota illa provincia  
Alpes Chochie nomen accepit. Plinius autem Secundus  
dicit quod Ianua fuit de provincia Ligurie. iste Plinius fuit magnus  
rector et ystoriographus, et fuit tempore Traiani imperatoris,[Page 224]

qui imperavit anno Domini .C. iste Plinius, cum quandam  
provinciam regeret, multos Christianos occidebat, ex eo quod  
Christum colerent et ydola adorare nollent. sed tamen eorum  
innocentiam videns, scripsit Traiano epistolam in qua Christianos  
excusabat et eorum innocentiam commendabat. propter  
quod Traianus sibi rescripsit quod Christiani non inquirantur,  
sed tamen, si apparuerint, puniantur. dicit igitur iste Plinius  
quod provincia Ligurie ex parte ore maritime protendebatur et  
a Vintimilio et flumine Merula usque ad Sigestrum et flumen  
Magre, et dicit quod in ista provincia Ligurie est Ianua et  
flumen Pulcifere. fecit etiam mentionem ibidem de portu  
egregio civitatis Lunensis, qui modo dicitur portus Venerij,  
sed tunc portus Lune vocabatur. ibi etiam mentionem fecit[Page 225]

de portu Dalphini et de portu Vadi. de Saona autem  
nullam mentionem facit, quia credimus quod tunc temporis adhuc  
non erat hedificata, sed de destructione Vadi fuit constructa.

sic igitur civitas Ianuensis, que olim erat de provincia  
que dicebatur Alpes Chochie vel de provincia Ligurie,  
postquam archiepiscopatum habere meruit, de nulla[Page 226]

provincia extitit; sed ipsa pro se cum sua diocesi, suffraganeis et  
districtu una provincia facta fuit et dicta est provincia Ianuensis.  
capitula [un]decime partis.

Sequitur [un]decima pars, in qua ponuntur tempora, nomina  
et ordines omnium episcoporum, qui in civitate Ianuensi fuisse  
leguntur. et ista pars tot habet capitula, quot ibi ponuntur  
episcoporum nomina.

Quo autem tempore civitas Ianuensis primo episcopatum  
habere ceperit, in superioribus nostram opinionem expressimus,  
quod scilicet dum Rome Petrus et Paulus Apostolorum principes  
presiderent, Ianuensis civitas episcopali honore meruit decorari.  
nomina tamen illorum primitorum episcoporum, qui  
fuerunt usque ad Valentimum, ad nostram notitiam minime  
pervenerunt. et ideo, illis dimissis, solummodo episcopos illos  
describemus, quorum nomina precedentium patrum ad nos scriptura  
mandavit. unum tamen obmittendum non est quod de omnibus  
episcopis, qui fuerunt a Valentino usque ad Theodulphum,  
invenimus quidem nomina, sed tempora non potuimus invenire.  
istud autem pro certo scimus quod sanctus Syrus, qui fuit episcopus  
tertius, ante tempora sancti Gregorij pape extitit, quia ipse  
Gregorius in libro Dyalogorum de ecclesia Sancti Syri  
episcopi Ianuensis expressam mentionem facit. Gregorius autem[Page 227]

florebat circa annos Domini .D.C.; per quantum autem  
temporis Sirus precesserit Gregorium ignoratur. supponamus tamen  
quod saltem per annos .xx. eum precesserit. tunc igitur  
oportebit dicere quod Valentinus, qui fuit episcopus primus de  
illis quorum nomina reperiuntur, cepit circa annos Domini .DXL.;  
et Felix, qui fuit episcopus secundus, cepit circa annos Domini  
.DLX.; et Syrus, qui fuit episcopus tertius, cepit circa annos  
Domini .D.LXXX., Romulus autem, qui fuit episcopus  
quartus, cepit circa annos Domini .DC. et secundum istam  
computationem Gregorius et Romulus eodem tempore floruerunt.  
ille Rome, iste Ianue. et sicut diximus de predecessoribus sancti[Page 228]

Romuli, ita et de successoribus est dicendum. nam a sancto Romulo  
usque ad Theodulfum non est de aliquo episcopo tempus  
expressum. Theodulphus autem cepit circa annos Domini  
.D.CCCC.XXX.; et sic inter Romulum, quem supposuimus incepisse  
circa annos Domini .D.C. et Theodulphum, qui incepit  
circa annos Domini .D.CCCC.XXX., inveniuntur fluxisse anni  
.CCC.XXX., et tamen a Romulo usque ad Theodulphum  
exclusive non nisi quinque episcopi reperiuntur. dividendo  
igitur equaliter annos .CCC.XXX. inter quinque episcopos, cuilibet  
ipsorum saltem annos .LX.VI. dare oportebit. sed certe  
non est credendum quod quilibet ipsorum per tot annos in episcopatum  
vixerit, et ideo est supponendum vel quod multi episcopi a  
Romulo usque ad Theodulphum sunt pretermitti, quorum nomina  
ex quadam negligentia non fuerunt annotata, vel quod ecclesia  
ianuensis diversis temporibus per annos plures vacaverit  
et anni vacationis non fuerunt annotati, vel forte utrumque  
vertum fuit. sed sive hoc sive illud sive utrumque verum fuerit,[Page 229]

hoc tamen constat, quod secundum computationem superius  
factam, a Romulo usque ad Theodulphum anni. CCC.XXX.  
fluxerunt, et ideo oportet quod illi anni inter illos quinque  
episcopos condividantur, ut scilicet anni .LX.VI. cuilibet dentur.[Page 230]

incipientes igitur a sancto Valentino, ceteros episcopos subsequentes  
per ordinem describamus. de sancto Valentino episcopo primo.  
Valentinus fuit episcopus primus de hiis, quorum nomina leguntur.  
cepit autem circa annos Domini .D.XL.; hoc autem dicimus  
supponendo quod Syrus per annos .XX. precesserit Gregorium.  
si enim per annos plures quam per .XX. ipsum precesserit, tunc Valentinus  
antiquior erit quam hic eum describamus. vixit vero  
Valentinus in estate, ut [in] legenda habetur, annis .LXXV.,  
de quo inter cetera legitur quod, dum quidam comederet, in eius[Page 231]

guttura os carnium sic inhesit, ut illud nec reicere nec glutire  
posset. qui, dum mortis timeret periculum, ad sanctum  
Valentinum tota devotione cucurrit, et facto inter se voto,

protinus os illud proiecit et plenam sanitatem secutus fuit. puella etiam quedam, dum esset clauda et incedere non valeret, sancto Valentino cum devotione maxima se recommendavit, et ecce in nocte sanctus Valentinus sibi apparuit et eam consolans et confortans, ipsam erexit et integre sanitati restituit. circa hec tempora duo fratres gemelli in Gallia claruerunt, scilicet sanctus Medardus et sanctus Girtaldus, qui una die gemelli fuerunt nati, una die pontifices consecrati, una die mortui, una die a Christo assumti.  
Nec sunt ista fato sive constellationibus attribuenda, sed divine ordinationi potius ascribenda. stelle enim, sive constellaciones, homini necessitatem inferre non possunt, quia,[Page 232]

si hoc esset, multa ex hoc inconvenientia sequerentur, sicut dicit sanctus Gregorius Nissensis. tunc enim superflue essent leges, superflua essent iudicia, irrationabiles vituperationes et laudes, insipientes et superflue essent orationes, divina providentia tolleretur, liberum arbitrium afferetur. ex hoc etiam sequitur quod Deus aut non est bonus aut [est] impotens aut est iniustus. si enim stelle cogunt hominem ad furandum vel [ad] adulterandum, istam tam iniquam virtutem stellarum si Deus ab eis afferre potest sed non vult, tunc non est bonus; si vero vult et non potest, tunc non est omnipotens; si autem punit hominem de eo quod de neccessitate fecit, tunc non est iustus. circa hec tempora in provincia Sicilie Theophilus quidam, cuiusdam episcopi vicedominus, ab ipso officio depositus, in tantam desperationem devenit, quod dyabolo homagium fecit et de ipso homagio manu propria cirographum scripsit et ipsum cirographum dyabolo dedit. dyabolus autem sibi[Page 233]

promisit quod in suum officium eum restitueret et bonis omnibus eum faceret habundare, que omnia fuit ad libitum assecutus. procedente autem tempore dictus Theophilus ad cor suum rediit et dolens et merens ad Reginam celi confugit. beata autem Virgo sibi veniam et gratiam impetravit, precipiens dyabolo ut cirographum Theophilo restitueret nec ipsum ulterius molestaret.  
unde ipse dyabolus tristis et dolens Theophilo apparuit et cirographum sibi restituit et sic veniam et gratiam assecutus fuit.[Page 234]

circa hec tempora, cum quidam puer iudeus cum ceteris Christianis Eucharistiam receperisset, pater eius indignatus in clibanum ardenter filium suum proiecit. verum cum Christiani hoc audientes nimium turbarentur, in clibanum respexerunt et ibi eum sanum et incolumem et gaudentem viderunt. quem inde extrahentes, interrogaverunt puerum quis eum sic conservasset illesum. quibus ille dixit quod illa domina picta, que est in ecclesia et tenet puerum in brachiis, flamas cum pallio suo a se reiecit et ipsum conservavit. tunc Christiani patrem illius in clibanum proiecerunt, qui protinus fuit combustus.  
circa hec tempora Theodoricus rex Ytalie, arriana heresi depravatus, Boetium philosophum consularem et patritium, dum rem publicam contra ipsum Theodoricum defenderet, Papiam in exilium destinavit, ubi librum De Consolatione scripsisse reffertur. uxor supradicti Boetij, nomine Elpes, composuit in honorem Apostolorum Petri et Pauli hymnum, qui incipit: "Felix per omnes, Roma, mundi cardines et cetera". epitaphium quoque suum supra tumulum eius scribendum ipsa[Page 235]

composuit, dicens: "Helpes dicta fui, Sicule regionis alumna, quam procul a patria coniugis egret amor. portibus sacris iam nunc peregrina quiesco, Iudicis eterni testificata tronum". procedente autem in tempore dictus Theodoricus supradictum Boetium occidi fecit. idem quoque Theodoricus lohannem papam in carcere posuit et ibi eum fame perire permisit. verum cum dictus Theodoricus fuisse mortuus, quidam heremita vidit quod lohannes papa eum nudum et discalciatum et inchainatum in ollam Vulcani proiecit, sicut reffert Gregorius in libro Dyalogorum. circa[Page 236]

hec tempora cum Clodoveus, rex Francorum, adhuc esset gentilis, uxor eius christianissima, que vocabatur Rotillidis, fidem Christi sepe predicabat eidem. sed cum ille nollet eam audire, contigit quod cum Alamanis grave bellum habuit, et cum ille in bello deficeret, votum vovit dicens: "Deus uxor mee, adiuva me, et ego pro Deo te colam". facto igitur voto, vires contra hostes resumpsit et victoriam optinuit, et sic postmodum sacrum baptisma

suscepit. unde verificatum est quod dicit Apostolus: "Salvabitur autem vir infidelis per mulierem fidelem". ex tunc autem tota gens Francorum ad fidem Christi conversa fuit.  
circa hec tempora Machumettus morbum caducum patiebatur.[Page 237]

cum autem caderet, dicebat quod Angelus Gabriel sibi apparebat, qui eum instruebat leges, quas populo dabat. et quia eius splendorem ferre non poterat, ideo in faciem suam cadebat. de sancto Felice episcopo secundo.

Felix, episcopus secundus, cepit circa annos Domini .D.LX.[Page 238]

vixit autem in estate, sicut in legenda habetur, annis .LXXVII. fuit autem Felix magister sancti Syri. dum vero quadam vice missam celebraret et Sirus sibi ministraret, vidi Syrus super caput Felicis flammarum ignis descendere. in qua etiam flamma dexteram Dei vidi radiare. illa autem flamma erat Spiritus sanctus, qui in specie ignis super Felicem descenderat, sicut olim super Apostolos descendisse constat. dextera autem Dei significabat virtutem et potentiam Dei, qui illam hostiam, quam Felix sacrificabat, celesti benedictione consecrabat. circa ista tempora vise fuerunt in celo accies ignee, que bellum Longobardorum et sanguinem in Ytaliam fundendum representabant, sicut dicit Gregorius in Omelia. Albuinus enim, qui erat rex Longobardorum, regem quendam Gelibaldorum, cum adhuc esset in Panonia, occiderat et de osse capitis sui cupam sibi paraverat, quam argento et auro incluserat; filiam quoque illius nomine Rosimundam, in uxorem acceperat. cum[Page 239]

igitur Ytaliam fere totam cepisset et apud Veronam convivium celebraret, in illa cupa uxorem suam bibere fecit. quod cum illa cognovisset, quod scilicet in capite patris sui biberat, furore concitata femineo, a quadam armigero regem, dum in lecto in meridie recumberet, interfici procuravit. siquidem mulieris ira nimis est periculosa. ideo dicitur in Ecclesiastico:  
"Non est caput nequius super caput colubri et non est ira super iram mulieris". sicut enim proprium vicium hominis est superbia, sic proprium vicium mulieris est iracundia. mulieres quidem ad irascendum sunt multum faciles, ad reconciliandum sunt valde difficiles, ad vindictam expectandam sunt nimis crudeles. et loquimur de illis mulieribus, que abiecerunt timorem Dei et verecundiam mundi. ista Rosimunda iacet apud Ravennam, in cuius tumulo versus scriptus est: "Hac iacet in tumba Rosimunda, non rosa munda".[Page 240]

circa hec tempora, prout legitur in gestis Longobardorum, cum Albuinus Mediolanum et ceteras civitates Lombardie cepisset, Honoratus archiepiscopus Mediolani Ianuam fugit ut a facie Longobardorum, qui adhuc erant pagani, securus consisteret.[Page 241]

Longobardi enim infra breve spatium temporis quinque provincias ceperunt, quarum prima dicebatur Venetia, que modo Marchia Trivisina dicitur, cuius caput erat Aquilegia. secunda provincia dicebatur Flaminea, que modo dicitur Romagnola, cuius caput erat Ravenna. tertia dicebatur Liguria, cuius caput erat Mediolanum. quarta dicebatur Emilia, cuius caput erat Ticinum sive Papia. quinta dicebatur Alpes Chochie, a quadam rege sic vocata, cuius nomen[Page 242]

erat Chochia; et ista provincia comprehendebat totum Pedemontem et civitatem Ianuensem cum tota Riparia sua. omnes istas quinque provincias Longobardi ceperunt, habitatoribus interfectis, preter terras maritimis scilicet Ianuam et Ripariam suam. quia illuc accedere ausi non fuerunt propter quod multi christiani fugientes a facie Longobardorum, qui tunc erant pagani, Ianuam veniebant ut ibidem salvarentur. de ipsis autem Lonbardis hoc sciendum est quod prius in insula Scandinavia, que est in partibus Dacie, a principio morabantur. et quoniam terra illa eos capere non poterat, ideo in Panoniam veherunt. deinde ad Ytaliam accesserunt et fere totam Ytaliam, preter terras maritimis, ceperunt. dicebantur autem prius Vinuli, sed postmodum Longobardi a longis barbis sunt appellati, ex eo quod longas barbas defferebant. modo autem, ablata una silaba de medio, Lombardi vocantur. venerunt autem in Ytaliam circa annos Domini .D.LX. sub rege Albuino. erant omnes Ytalici christiani et ipsi Longobardi erant pagani, et ideo omnes Christianos

occiderunt, preter illos, qui in terris maritimis morabantur. steterunt[Page 243]

autem dicti Lombardi pagani, postquam scilicet venerunt  
in Lombardiam, per annos .XL., usque scilicet ad tempus  
Theodolinde, ducis Bavarie filie et christianissime, que Agilulpho  
regi Longobardorum in uxorem tradita, ipsum virum  
suum ad fidem Christi convertit, et sic tota gens fidem Christi  
ceperunt. ecce quot bona sepe secuntur ex muliere  
bona. nam una mulier, nomine Rotildis regina, fuit  
causa conversionis ad fidem Christi totius gentis Francorum, sicut  
dictum est supra in precedenti titulo. fuerunt autem ipsi[Page 244]

Gallici conversi ad fidem Christi circa annos Domini .D.XL.  
alia mulier, scilicet Galla regina, fuit causa conversionis totius  
gentis Ungarorum, sicut dicetur infra in titulo de Iohane  
episcopo .XIlo. fuerunt autem Hungari ad fidem Christi conversi  
circa annos Domini .Mo.XV. alia mulier, scilicet  
Theodolinda regina, fuit causa conversionis totius gentis  
Lombardorum, sicut dictum est supra. fuerunt autem Lombardi  
ad fidem Christi conversi circa annos Domini .DC. una  
alia mulier nomine Ysides, que fuit tempore Habrae, invenit  
litteras grecas et egyptiacas. alia mulier nomine Carmentis  
regina, que fuit mater Latini regis Ytalie, invenit litteras  
latinas. ecce quam sapientes et devote olim mulieres  
erant, que populos ad fidem Christi convertebant et que litteras  
latinas, grecas et egyptiacas inveniebant. mulieres autem  
nostri temporis potius student circa vanitates seculi, quam circa  
ea que sint ad honorem Dei vel edificationem populi. de  
sancto Syro episcopo tertio.  
Syrus, episcopus tertius, cepit circa annos Domini .D.LXXX.[Page 245]

iste fuit oriundus de Mulazana, et in loco sue nativitatis  
nobilis ecclesia est constructa. iste in sua pueritia sancte vivere  
incepit, quod patet per aviculam, quam suscitavit, in  
sua iuventute et reliqua sui etate sanctius vixit, quod patet per basiliscum  
quem interfecit. in sua morte sanctissime finivit,[Page 246]

quod patet per pannum sanguine tinctum, per quem multos  
infimos sanavit. iste suis meritis acquisivit palatio Ianue terram  
sancti Romuli et Ciliane cum omnibus pertinentiis et redditibus  
suis. item acquisivit decimam Bisanijs usque ad  
fiumen Sturle et desuper per strata mire ad mare. item[Page 247]

decimam de Calignano, tam de dominicatis, quam de alijs locis.  
item decimam de Ravecha a flumine usque ad mare per viam que  
venit a Bisane ante Sanctum Martinum et ante hospitale Sancti  
Stephani usque ad portam civitatis. huius corpus positum fuit in  
basilica .XII. Apostolorum, que modo dicitur monasterium Sancti  
Syri, quia ibidem erat, ut creditur, sedes episcopalnis. mansit  
autem ibidem corpus predictum usque ad tempora Landulfi episcopi  
undecimi. translata enim sede episcopali ad ecclesiam Sancti  
Laurentii, voluit dictus episcopus ut corpus sancti Syri illuc  
transferretur et repositum fuit in choro ubi modo est introitus  
cancellarum. facta autem fuit hec translatio circa annos  
Domini .D.CCCC.LXXXV. procedente autem tempore cum ecclesia  
Sancti Laurentij per Gelasium papam debuisse consecrari,  
Octo, episcopus .XVIII., corpus sancti Syri de loco cancellarum[Page 248]

substulit et subtus altare ipsius martiris venerabiliter collocavit.  
ista translatio facta fuit circa annos Domini .Mo.XVIII. tempore  
quoque procedente, Bonifacius archiepiscopus tertius corpus  
sancti Syri de subtus altare substulit et ipsum super altare  
Sancti Laurentij in archa marmorea reverenter reposuit. ista translatio  
facta fuit anno Domini .Mo.CLXXXVIII. nos quoque,  
presente provinciali concilio, ad omnem ambiguitatem removendam  
capsam ipsam apperuimus et omnia ossa sancti Syri  
ibidem invenimus, prout infra in titulo nostro dicetur.  
ista revelatio facta fuit anno Domini .Mo.CC.LXXXIII. de  
mense iunij. eius quoque legendam diligent studio compilavimus,  
in qua miracula multa sunt posita, que a fide dignis  
audivimus, que quidem in veteri legenda non erant conscripta.[Page 249]

circa hec tempora sancti Syri apparuit Antiochie  
senex quidam, alba veste indutus, qui sudarium, quod manu tenebat,  
super medietatem civitatis excussit. et statim tota illa medietas cum

habitaculis et habitatoribus suis corruit. duo autem sotij sui eum  
instanter rogabant ut parceret relique parti civitatis. quod illi cum  
difficultate maxima obtinuerunt et statim ille disparuit et ultra  
visus non fuit. quis autem iste homo fuerit ignoratur; credimus  
autem quod fuerit angelus Dei bonus vel malus. Deus enim  
aliquando punit homines malos per angelos bonos, sicut punivit Sodomitas.  
aliquando punit homines malos per angelos malos. aliquando  
vero punit homines bonos per angelos malos, sicut punivit sanctum  
Iob, ut per patientiam acquireret sibi maiorem gloriam,  
et sicut punivit Paulum apostolum, cui ob humilitatis custodiam  
datus fuit angelus Sathanus, ut eum colaphicaret, idest corporaliter  
affligeret. quod autem Deus puniat homines bonos per  
angelos bonos, non memini me legisse. circa hec tempora Levingildus,[Page 250]

rex Gothorum ariana fece pollitus, filium suum  
Eminigildum, ad fidem catholicam per uxorem suam conversum,  
in carcere reclusit et tandem in nocte Pasche eum  
cum securi occidit, pro eo quod ariane heresi sibi assentire  
noluit. ea autem que sanctus Syrus in episcopatu  
laudabiliter fecit et miracula, que per eum Dominus operatus fuit,  
si quis scire voluerit, in legenda sua inquirat et ibi sufficienter  
omnia inveniet exarata. de sancto Romulo episcopo quarto.  
Romulus, episcopus quartus, cepit circa annos Domini .DC.  
iste fuit homo magne sanctitatis quo ad Deum, magne honestatis  
quo ad se ipsum, et magne pietatis quo ad pauperes. erat autem tunc[Page 251]

villa quedam iuxta litus maris, que dicebatur Matuciana.  
que beato Syro data fuerat pleno iure. ad hanc villam cum sanctus  
Romulus quadam vice venisset et ibi infirmatus fuisse, beato  
fine requievit ibidem. cuius corpus fuit ibi venerabiliter tumulatum,  
ad cuius sepulcrum crebra miracula fiebant. nam ceci  
visum, claudi gressum, leprosi mundacionem et alii  
infirmi curacionem recipiebant, propter quod incole regionis  
illius dictam villam Sanctum Romulum vocaverunt. post multa  
vero tempora Sarraceni africani terras maritimas invadentes,  
ipsam villam funditus destruxerunt; propter quod habitatores  
ad montana se reducentes, ut ab hostibus tuti essent,  
castrum, quod nunc dicitur Sanctus Romulus, edificaverunt;  
nondum tamen opportunitas occurrerat, per quam possent  
sancto Romulo ecclesiam fabricare et corpus suum transferre.  
et ideo corpus eius ibi in villa Matuciana remansit, donec per  
Sabbatinum episcopum ad ecclesiam Iauensem fuit translatum.  
circa hec tempora, cum Sigebertus infans, filius Dagoberti  
regis, a sancto Amardo baptizaretur, cum circumstantes[Page 252]

episcopo non responderent, infans miraculose respondit:  
"Amen". circa hec tempora sanctus Columbanus de Francia  
veniens, monasterium apud Bobium construxit et multos ibi monachos  
congregans, sanctam et laudabilem vitam duxit et multa  
miracula per eum Deus operatus fuit. circa hec tempora  
Bonifacius papa templum Panteon a Foca Cesare impetravit  
et ipsum in honorem beate Marie et omnium Martyrum consecravit,  
nondum enim festivitates confessorum ab Ecclesia  
agebantur. post autem hec alias papa, nomine Gregorius,  
statuit ut dictum festum in honorem omnium Sanctorum in kalendis  
novembri annis singulis per universum orbem sollempniter  
celebretur, ut quia de quolibet sancto non possumus festum[Page 253]

agere in singulari, saltem omnes honoremus in comuni. non  
enim possemus de quolibet sancto festum agere, quia tempus ad  
hoc non sufficeret. exceptis enim confessoribus, qui quasi sunt  
infiniti, ipsi martyres tot sunt quod, sicut dicit sanctus Ieronimus,  
non est aliqua dies in anno, preter diem primam ianuarii,  
in qua ultra quinque milia martyrum non fuerint pro Christi  
fide occisa. in kalendis ianuarii enim preceperant[Page 254]

Romani ne aliqui occiderentur, sed dies illa cum leticia ageretur,  
ex eo quod erat prima dies anni et ex eo quod dedicata erat  
Iano, qui erat maximum et precipuum ydolum Romanorum.  
de Sabbatino episcopo quinto.  
Sabbatinus, episcopus quintus, cepit circa annos Domini  
.DC.LXVI. iste transtulit corpus sancti Romuli de villa  
Matuciana ad ecclesiam Iauensem. nam, cum Sarraceni  
villam illam destruxissent, dictus Sabbatinus episcopus illuc perrexit  
et corpus sancti Romuli honorifice Iauam detulit et sub

altare sancti Laurentii in capsula marmorea venerabiliter collocavit.  
conveniens quidem fuit ut sanctus Romulus non nisi in civitate[Page 255]

sua requiesceret ut ubi tres sui predecessores, scilicet sanctus  
Valentinus, sanctus Felix et sanctus Syrus, quiescebant, ipse quoque  
ibidem requiesceret cum eisdem. isti .IIIlor. sancti sunt quadriga  
Dei super quam civitas Ianue exemplis rigatur, doctrinis  
compluitur et meritis fecundatur. isti sunt .IIIlor. venti  
celi, qui nos per mare huius seculi navigantes a fluctibus protegunt,  
a scopolis improvisis defendunt et ad portum quietis eterne perducunt.  
isti sunt .IIIlor. gemme Dei in corona Ianuensis  
ecclesie collocate, quarum una ornat ab anteriori ut de futuris  
habeat previdenciam; alia ornat a posteriori ut de preteritis satisfaciat  
per iusticiam; tercia ornat a dextris ut inter prospera  
servet temperanciam; quarta ornat a sinistris ut inter adversa  
et difficilia magnam habeat constanciam. circa hec tempora  
floruit in Anglia Beda, doctor eximus et monachus perfectus  
et omeliarum declamator egregius. qui quidem licet  
sit sanctus, tamen venerabilis appellatur, et hoc dupli de causa.[Page 256]

una est quod cum eius oculi calligassent et in quadam valle lapidibus  
plena predicaret, dicentibus sibi sociis, dissolucionis et  
levitatis causa, quod magna populi multitudo ibi suam predicacionem  
expectaret, cum ille predicacionem suam finisset et dixisset:  
"Per omnia secula seculorum", divino nutu angeli sibi et lapides  
responderunt: "Amen, venerabilis pater". quia igitur sic  
fuit venerabilis appellatus, ideo ab Ecclesia venerabilis dicitur. alia  
causa est quia post mortem suam quidam clericus sibi devotus  
versum facere cupiebat, quem in suo sepulcro facere sculpi  
volet, incipiens tali modo: "Hac sunt in fossa", volens taliter  
finire, "Bede sancti ossa". sed quoniam versus congruitas hoc  
non paciebatur, sequenti die causa devocationis ad tumulum  
perrexit et ibi versum taliter finitum et manibus angelicis sculptum  
invenit: "Hac sunt in fossa Bede venerabilis ossa". eius[Page 257]

corpus et ossa venerabilia post multum temporis Ianuam fuerunt  
delata et in monasterio Sancti Benigni de Capite Fari sunt venerabiliter  
tumulata, ubi festum sollempne agitur et in devocione  
multa habentur. De Viatore episcopo .VI.  
Viator, episcopus sextus, cepit circa annos Domini .D.CC.XXXII.  
huius tempore ossa beati Augustini episcopi, procurante  
rege Longobardorum nomine Aliprando, christianissimo,[Page 258]

de Sardinea usque Ianuam sunt delata. quod cum audisset  
dictus rex, sibi de Papia usque Ianuam obviavit. dum vero rex  
ipsa ossa vellet Papiam facere deportari, in tantum ponderaverunt,  
quod nullo modo levari a vectoribus, potuerunt. tunc  
rex beato Augustino votum vovit quod, si permitteret se elevari  
et Papiam deduci, ecclesiam in honorem suum, in loco scilicet  
illo ubi apud Ianuam fuerat hospitatus, hedicari faceret. facto  
igitur voto, statim illi, qui corpus deportabant, leviter elevaverunt  
et rex votum suum fideliter adimplevit. ubi autem modo  
sit ista ecclesia nescitur. quidam tamen dicunt quod est ecclesia  
Sancti Thome, alij quod est Sancti Theodori, alij dicunt quod est  
palacium archiepiscopi, quod est apud Sanctum Silvestrum, ubi  
supradictus rex fuerat hospitatus. et ideo palacium illud construxit  
et capellam Sancti Augustini ibidem edificavit, que  
ibidem usque hodie perseverat. circa hec tempora Leo imperator[Page 259]

ymagines Christi, beate Virginis et aliorum Sanctorum  
ubique comburi et frangi faciebat, dicens ydolatriam esse  
ymagines adorare. propter quod quidam papa, nomine Gregorius,  
ipsum ne hoc faceret admonuit, et cum nollet desistere,  
eum excommunicavit. cum vero adhuc in sua duricia permaneret,  
eum depositum. insipienter enim et impie iste Leo imperator  
faciebat quando Christi et Sanctorum ymagines comburebat.  
hoc enim non est ydolatrare, sicut ille dicebat, quia nichil divinitatis  
in eis esse credimus, quemadmodum Gentiles ydolatre  
supponebant; sed tantum ymagines facimus ut per eas in rememoratione  
eorum, quorum sunt ymagines, reducamur. honorem  
autem, quem ymaginibus impendimus, non impendimus  
eis in quantum ipse ymagines sunt diversis coloribus figurate,  
sed impendimus illis, quorum ipse sunt significative. verum  
quidem est quod in veteri Testamento non fiebat aliqua ymago  
Dei, quia Deus tunc invisibilis esset, et ideo aliqua ymago sibi

fieri non valebat. sed Deus, qui tunc erat invisibilis in natura  
Divina, modo factus est visibilis in natura humana. et ideo  
ea que Christus fecit in humana carne, sicut sunt nativitas, passio,  
ressurreccio, ascensio et cetera miracula que fecit, possumus[Page 260]

ymaginibus figurare, ea autem, que Christus fecit, fuerunt  
conscripta ad nostram informacionem et doctrinam. sed  
quoniam multi sunt, qui licteras nesciunt, ideo sancti Patres  
ordinaverunt ut gesta Christi et aliorum Sanctorum per ymagines  
figurarentur, ut ipsi layci in ipsis ymaginibus tanquam in libro  
instruantur. debet autem pingi ymago Christi et beate Marie  
prout a sanctis doctoribus traditum reperitur. Iohannes  
enim Damascenus dicit quod Christus fuit consuperciliatus,  
idest habuit supercilia coniuncta, et quod fuit bene oculatus, et  
quod habuit longum vultum, et quod fuit acinus, quod erat signum  
humilitatis et maturitatis. sanctus autem Epiphanius  
dicit quod statura corporis Christi fuit sex pedum, et quod habuit  
capillos lungos et flavos, et quod habuit supercilia nigra et aliquantulum  
circumflexa, et quod habuit oculos flaventes, leticiam  
conferentes, et quod habuit longas nares et barbam flavam, et quod  
fuit coloris frumenticij, et quod non habuit cervicem  
erectam, sed aliquantulum inclinatam et subrubeam. de matre[Page 261]

autem eius dicit idem Epiphanius quod [fuit] ipsa  
stature medie et quod fuit coloris frumenticij et habuit capillos  
flavos et bonos oculos et nigra supercilia et nasum oblongum  
et manus oblongas digitosque prolixos et faciem longam.  
ex his igitur, que dicuntur de Christo et [de] eius  
matre, manifeste constat quod filius multum fuit similis matri  
eius. per idem tempus in campania Ytalic frumentum,  
ordeum et legumina de celo quasi pluvia descenderunt., prout  
in cronicis legitur. circa enim hec tempora studium generale[Page 262]

Parisios est translatum; nam olim generale studium in Grecia  
florebant, sed de Grecia traslatum fuit Romam. tandem Alcuinus,  
magister Karoli, vir in omni scientia eruditus, ipsum  
Parisios transtulit, ubi usque odie floret. circa hec tempora  
apud Syriam Iudei quandam ymaginem Christi in latere cum lancea  
perforaverunt, de cuius vulnere sanguis copiosissime emanavit;  
propter quod Iudei stupefacti vas supposuerunt, quod de illo  
sanguine statim [fuit] impletum. iste autem sanguis per diversas  
ecclesias fuit dispersus et divisus, qui usque hodie in multis ecclesijs  
reservatur et ostenditur, et ab illo tempore ecclesie in honore  
sancti Salvatoris edificari ceperunt. Romam quoque magna  
pars illius sanguinis fuit delata et ecclesia Sancti Salvatoris ibidem  
constructa et consecrata, ubi ampula plena de illo sanguine  
reservatur. Iudei igitur, tantum videntes miraculum,[Page 263]

ad fidem catholicam sunt conversi. de Dionisio episcopo

.VII.  
Dionisius, episcopus septimus, cepit circa annos Domini septingentos  
nonaginta .VIII. huius episcopi tempore Carolus  
imperator in civitate Ianue synodum celebravit, sicut in gestis  
legitur eiusdem imperatoris. cum enim tunc temporis Desiderius,  
rex Longobardorum, imperium molestaret et Sarraceni  
africanani Ianuam et terras maritimas plurimum devastarent,  
supradictus imperator exercitum suum in duas partes divisit. unam  
partem dedit Barnardo avunculo suo, ut contra Desiderium pergeret,  
qui erat in partibus Longobardie. pergens igitur dictus Bernardus,  
ipsum Desiderium fugavit et ultra Papiam reduxit;  
tandem fuit captus et Luggdunum cum uxore et filiis in exilium  
destinatus. reliquam autem partem exercitus rex Carolus Ianuam  
dimisit ut terras maritimas a Sarracenis defenderet.[Page 264]

circa hec tempora [fuit] in Romana sede Leo papa, vir sanctitate  
conspicuus et scientia preclarus. iste dum ad letanias maiores  
pergeret, Romani de sua promocione turbati, diabolica vesania  
instigati, ei oculos eruerunt et linguam similiter preciderunt.  
sed Deus miraculose et visum sibi et linguam restituit.  
iste tamen ad Carolum confugit et ea, que sibi Romani  
fecerunt, indicavit. Carolus igitur, Romam veniens, ipsum  
vindicavit et in sede sua restituit. eodem tempore, cum Romanorum[Page 265]

et Grecorum idem esset imperium, ab invicem fuit divisum, ita  
quod Greci imperatorem suum retinuerunt et Latini Carolum

auctoritate Ecclesie imperatorem creaverunt. iste imperator  
Carolus procuravit quod officium Ambrosianum, quod tunc  
per omnes ecclesias cantabatur, dimitteretur, et officium Gregorianum  
ab omnibus ecclesiis assumeretur. sed quoniam difficile  
est assueta relinquere, de hoc in tota Ecclesia scandalum  
magnum fuit, quibusdam volentibus quod Ambrosianum officium  
deberet retineri, alijs vero volentibus quod Gregorianum  
deberet assumi. ideoque sancti Patres missale Ambrosianum  
et missale Gregorianum accipientes, super altare posuerunt,  
rogantes Deum ut per aliquod indicium ostenderet quod  
officium magis sibi placeret. claudentes igitur hostia, dum mane  
redissent, invenerunt missale Ambrosianum super altare apertum.  
Gregorianum vero invenerunt totaliter dissolutum et per  
ecclesiam huc illucque dispersum. quo signo edocti sunt ut  
officium Ambrosianum in sua tantum ecclesia decantaretur, Gregorianum[Page 266]

vero per totum mundum dispergeretur. Ambrosius  
quidem primitus in Ytalia officium decantandum instituit[Page 267]

et hymnos primus invenit, sicut dicit sanctus Augustinus in  
libro Confessionum. dicit enim quod Iustina imperatrix, que erat  
fautrix Arrianorum, conclusit Ambrosium et Catholicos intra  
ecclesiam, nec ipsos permittebat exire. propter hoc ne populus  
tedio ac merore contabesceret, Ambrosius ymponos composuit,  
quos in ecclesia decantari fecit. quia vero officium Ambrosianum  
nimis videbatur esse prolixum, ideo Gregorius post  
longa tempora veniens, ipsum abbreviavit et melius ordinavit  
et ad meliorem consonanciam ipsum reduxit. concessum est[Page 268]

tamen ut ecclesia Mediolanensis Ambrosiano officio possit uti.  
circa hec tempora apud Constantinopolim inventa est sub  
terra archa marmorea, ubi erat homo grandevus iacens suppinus,  
in qua quidem archa tales littere sunt invente: "Christus nascetur  
de Virgine et credo in eum; o sol, adhuc me videbis".  
ex quo patet quod iste homo ante Christi nativitatem fuit mortuus  
et sepultus, et quod de ipsa nativitate Christi prophetavit. quis  
autem fuerit ignoratur. de Sigeberto episcopo octavo.  
Sigebertus, episcopus octavus, cepit circa annos Domini  
.DCCC.LXIII. circa tempora istius episcopi fuit quedam  
mulier, sciencia multa predita et eloquencia preclara, que[Page 269]

in habitu virili ad curiam Romanam accessit, ubi degens, propter  
suam probitatem et sapientiam multa est officia assecuta, tandem  
cardinalis est effecta, postremo in papam eligitur et graciosa  
coram omnibus videbatur. hec antequam ad papatum assumeretur,  
virum, ut dicitur, habebat, sed occultum, de quo tempore  
precedente, concepit. quadam igitur die, dum per Romanam cum  
cardinalibus et clero et populo processionaliter pergeret, dolores  
partus in eam subito irruerunt. in quandam igitur domumculam  
in via positam intrans, et ibi peperit et pre dolore  
partus expirans, ibidem sepulta fuit. ideo usque hodie consuetudo  
in Romana curia inolevit ut papa per illam viam nunquam  
transit, sed girando divertit. ibidem etiam ymago marmorea habetur,  
que istud factum declarat. ista mulier presumptuose incepit,  
fallaciter et stulte prosecuta fuit et ignominiose finivit  
hec est enim natura mulieris, quod circa opus aliquod faciendum,  
in principio habet presumptionem et audaciam, in medio  
stulticiam, in fine incurrit verecundiam. presumptuose  
quidem et audacter mulier incipit et ad finem et ad ea que sunt ad  
finem non respicit, sed reputat se magna fecisse. si potest[Page 270]

aliquid magnum incipere, postquam autem incepit et ad  
medium pervenerit, nescit sapienter prosequi quod incepit, et hoc  
propter defectum discretionis. et ideo oportet ut cum verecundia  
et ignominia finiat quod cum presumptione et audacia incepit  
et quod cum stulticia prosecuta fuit. et sic patet quod mulier  
presumptuose incipit, future procedit et ignominiose finit. circa  
hec tempora electus est in papam cardinalis quidam, qui Os Porchi  
dicebatur, sed, mutato nomine, Sergius est vocatus. ab illo tempore  
ordinatum est ut omnes pape propria nomina mutent ut, si  
forte aliquo indecoro nomine turparentur, nomine decoro  
debeant insigniri. in hoc etiam a Christo exemplum  
habuerunt, qui Symoni, quando in principem et pastorem ceterorum  
eum elegit, nomen mutavit et Petrum appellavit. per  
hoc etiam datur intelligi ut sicut mutantur in nomine, sic

mutari debent in vite perfectione. circa etiam hec tempora  
Theodulfus, Aurelianensis episcopus, apud imperatorem falso[Page 271]

accusatus, in quadam turri est carceri mancipatus, ubi illos versus,  
qui cantantur in ramis Palmarum, scilicet: "Gloria, laus et honor  
tibi sit et cetera" composuit. et cum processio cum imperatore  
in die transiret, versus illos decantavit et ad processionem ipsos  
proiecit. qui in tantum imperatori et omnibus qui erant in  
processione placuerunt, quod imperator ipsum a carcere extraxit  
et in sede sua collocavit. quia vero versus illi in turri  
et ianuis clausis decantati fuerunt, ideo in aliquibus locis est  
consuetudo quod pueri turrem ascendunt et illos versus ibi  
decantant et totus clerus respondet. alicubi vero turris non  
ascenditur, sed clausis ecclesie ianuis, decantantur. circa hec  
tempora apud Brixiam tribus diebus et noctibus sanguis de  
celo pluisse narratur, prout in cronicis multis habetur. de  
Theodulfo episcopo .IX.[Page 272]

Teodulfus fuit episcopus nonus. ab isto autem episcopo  
usque ad tempora nostra invenimus de omnibus episcopis et archiepiscopis  
annos et tempora quibus prefuerunt. invenimus autem  
ista partim per cronicas communis lanue, partim ex registro quo  
in nostro palacio reservatur. cepit igitur dictus episcopus[Page 273]

circa annos Domini .DCCCC.XXX. et vixit in episcopatu annis  
.XXXVIII. tercio autem anno sui episcopatus, scilicet anno  
Domini .DCCCC.XXXIII., accidit in civitate lanue quoddam terrible  
monstrum et infortunium dolorosum. nam, sicut refert  
Filibertus in sua cronica et Vincencius in sua, in urbe lanue  
fons sanguinis largissime emanavit precedens ipsius civitatis[Page 274]

futuram cedem pariter et ruinam. nam eodem anno a Sarracenis  
africanis civitas fuit capta et thesauris omnibus expoliata  
et occisorum sanguine cruentata. omnes enim preter mulieres  
et parvulos et quosdam, qui ad montana se receperunt, interfecerunt,  
ipsis parvulis et mulieribus in captivitatem deductis. iste fons  
sanguinis emanavit in loco, qui nunc dicitur Fontanella; locus  
enim ille ab illo tali fonte sanguinis Fontanella nomen accepit. qualiter  
autem lanuenses mulieres et parvulos et thesauros postea  
recuperaverunt, dictum est supra in parte .Va., capitulo .Ilo.[Page 275]

circa hec tempora, cum Lodovicus, qui erat de genero Francorum,  
teneret imperium nec contra Longobardos Ecclesiam adiuvaret,  
ius imperii de Francis ad Theotonicos est translatum. primo  
enim ius imperij fuit apud Romanos, deinde translatum est ad  
Grecos, inde ad Gallicos, inde ad Theotonicos. circa  
hec tempora papa Sergius, de quo supra dictum est, a quodam,  
nomine Formoso, fuit expulsus et Formosus electus. sed  
mortuo Formoso, cum Sergius papatum recuperasset, Formosum  
fecit extumulari et pontificaliter induitum in sede pontificali fecit  
decollari et corpus in Tiberim iactari. sed a piscatoribus  
inventum, in ecclesia Sancti Petri fuit sepultum. tunc autem  
quedam ymagines sanctorum vise sunt ipsum Formosum adorare  
et venerabiliter salutare. creditur enim quod ille Formosus,[Page 276]

de eo quod Sergium expulerat, in morte multum penituit et  
veniam consecutus fuit. Deo quoque et omnibus hominibus  
multum displicuit de tam severa ulcione, quam dictus Sergius  
erga eum exercuit. caveat autem ipse Sergius ne Deus fuerit sibi  
nimis severus, quia, sicut dicit beatus Iacobus: "Iudicium sine  
misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam". de  
Ramperto episcopo decimo.  
Rampertus. episcopus decimus, cepit circa annos Domini  
.DCCCC.LXVIII. et vixit in episcopatu annis .XVII. circa hec[Page 277]

tempora fuit papa quidam, nomine Silvester, qui dum adhuc  
esset iuvenis et in laycali habitu constitutus, arte magica diabolum  
advocavit et homagium sibi fecit. dyabolus autem sibi  
promisit quod magnos et multos sibi daret honores. ipse  
igitur primo Remensis, postea Ravennas archiepiscopus est  
effectus, tandem in summum pontificem est sublimatus. deinde  
a dyabolo quesivit quamdiu viveret in hoc mundo. dyabolus  
autem sibi respondit quod tandiu viveret donec in Ierusalem  
missam celebraret. de cuius responsione valde fuit gavisus, sperans  
se longe a morte esse, sicut longe erat a peregrinandi

voluntate. in urbe autem Rome est quedam ecclesia, que ad Ierusalem dicitur, in qua cum ille in quadragesima celebraret, dyabolo revelante, mortem suam vicinam esse cognovit. et cum ille conquereretur quod dyabolus promissionem suam non servaverat, dixit sibi quod suam promissionem utique sibi[Page 278]

servavit, quia mori non debebat donec in Ierusalem celebraret. et ideo cum in Ierusalem missam diceret, tempus erat ut admodum moreretur. ille vero, licet fuerit sceleratissimus, tamen de Dei misericordia non desperans, peccatum suum coram omnibus est confessus. et ut compleatur verbum, quod scribitur in libro Sapientie: "Per que peccat quis, per hec et torquetur", omnia membra quibus dyabolo obsequium prestiterat, sibi precepit incidi, mandans ut postquam corpus suum sic membratim fuerit detruncatum, super currum ponatur et ubicumque animalia subsisterent, ibidem sepeliatur. iussitque sibi igitur precidi pedes cum quibus ad dyabolum consulendum iverat, linguam cum qua dyabolum advocaverat, manus cum quibus dyabolo homagium fecerat; tandem oculos erui, quia ipsi ad ista confienda lumen prebuerant. positum est igitur corpus truncatum super currum cum vero animalia ipsum ducerent et iuxta ecclesiam Latteranensem essent, ibi penitus substiterunt, propter quod in dicta ecclesia ipsum cum honore debito sepelierunt. ex quo patet quod non est aliquis ita sceleratus, qui non possit a Deo misericordiam consequi, si cum vero corde ad[Page 279]

Deum voluerit converti. parcere enim et misereri est Deo proprium et naturale, punire vero est sibi alienum et contra naturam. istud autem, quod est nobis secundum naturam, libenter facimus et cito facimus. istud vero, quod est nobis contra naturam, invite facimus et tarde facimus. ideo Deus libenter parcit et invite punit et est promptus ad miserendum et tardus ad puniendum. ideo quamvis Adam peccaverit in meridie, Deus tamen ivit ad puniendum eum post meridiem, sicut legitur in Genesi, ut daret sibi spacium penitendi. quando vero filius prodigus ad patrem rediit, pater ad ipsum cucurrit et osculum sibi dedit, sicut dicitur in Evangelio. [in hoc] quod cucurrit ostenditur quod Deus cito et velociter parcit; in hoc quod osculum sibi dedit ostenditur quod libenter parcit. de Landulfo episcopo undecimo.  
Landulfus, episcopus undecimus, cepit circa annos Domini .DCCCC.LXXXV. et vixit in episcopatu annis .XXX. iste transtulit[Page 280]

corpus sancti Syri de basilica Duodecim Apostolorum, que hodie monasterium Sancti Syri dicitur, ad ecclesiam cathedralem Sancti Laurencij, cuius corpus repositum fuit in choro eiusdem ecclesie, ubi modo est introitus cancellarum. causa autem quare ipsum corpus transferre voluit fuit duplex; una[Page 281]

est ut ipsum corpus preciosum securius in ecclesia Sancti Laurencij servaretur. tunc enim temporis monasterium Sancti Syri erat extra muros civitatis et Sarraceni africani sepe cum galeis veniebant et ecclesias spoliabant. et ideo ad ecclesiam Sancti Laurencij tantus thesaurus fuit translatus ut ibi magis esset securus. secunda causa est cum sanctus Syrus fuerit lanue episcopus, dignius erat et conveniens ut requiesceret in ecclesia episcopali, quam in ecclesia monachali. circa hec tempora fuit quidam rex Francorum, nomine Robertus, Deo valde devotus et sciencia et vita preclarus. iste multas sequencias et responsoria ad honorem sanctorum composuit. nam, ut quidam dicunt, fecit sequenciam que incipit: "Sancti Spiritus adsit nobis gratia". iste etiam rex tante devocationis fuit, quod sepe capam sericam in choro deferebat et chorum regebat. cum vero quodam tempore quoddam castrum suum, quod sibi rebellaverat, obsideret et quoddam magnum festum advenisset, dimisso exercitu, ad ecclesiam venit et officium devote peregit, rogans Deum ut castrum suum in pace recuperaret. cum ergo, capa serica indutus, "Agnus Dei" alta voce ter genua flectendo incepisset, dicto "Dona nobis pacem", muri illius castri funditus[Page 282]

corruerunt, et sic castrum illud in pace et sine sanguinis effusione recuperavit. ex quo patet quod ad habendam victoriam de inimicis sepe plus valent oraciones sanctorum virorum, quam arma militum. unde legitur de Moyse quod, dum quedam gens, que dicebatur Amalech, pugnaret contra populum

Israelis, Moyses manus ad celum levavit et pro populo suo  
Israelis orare cepit. quando igitur Moyses manus ad celum  
levabat, populus Israelis vincebat. si quando vero manus fatigatus  
deponeret, hostes vincebant. propter quod duo viri  
fortes manus et brachia Moysi substantabant et sic victoram  
de hostibus habuerunt. legitur eciam de losue, discipulo  
Moysi, quod cum quandam civitatem, que dicebatur Iericho,  
obsideret, precepit sacerdotibus ut tubis clangerent et ad Deum clamarent.  
quibus clamantibus, muri civitatis corruerunt et sic  
civitatem cuperunt. quod autem dictum est supra quod Robertus  
rex Francorum fecerit sequenciam "Sancti Spiritus adsit  
nobis gratia", quidam dicunt quod Hermannus Theotonicus  
contractus eam composuit. iste Hermannus, dum esset contractus  
et beate Virgini multum devotus, apparuit sibi Virgo  
beata, dicens quod eligeret unum ex duobus quod sibi magis  
placeret: aut corporis sanitatem aut gratiam inveniendi cantus  
devotos ad Dei honorem. ille vero hoc ultimum pre elegit.  
post hec igitur per omnes ecclesias duci se faciebat et in honorem [Page 283]

illorum sanctorum antiphonas vel sequencias vel responsoria  
componerat, de quibus multa in diversis ecclesiis decantantur.  
inter cetera autem composuit ad honorem beate Marie illam pulcherrimam  
antiphonam, que incipit: "Alma Redemptoris  
Mater" et cetera. tempore istius episcopi Landulfi, scilicet  
anno Domini .DCCCC.LXXXI., dicitur hedificata fuisse  
ecclesia Sancte Marie de Vineis per Obertum Vicecomitem et Idonem  
de Carmadino. de Iohanne episcopo duodecimo.  
Iohannes, episcopus duodecimus, cepit circa annos Domini  
.Mo.XV. et vixit in episcopatu annis .XXX. huius episcopi [Page 284]

tempore Ungari ad fidem Christi sunt conversi per Gallam,  
sororem Henrici imperatoris, Sthephano regi Ungarie in  
uxorem traditam. illa enim sancta femina, cum esset christianissima,  
virum suum ad fidem Christi convertit et baptizari  
fecit. ceteri autem Hungari, postquam audierunt regem ad fidem  
Christi conversum et baptizatum, ipsi similiter ad baptismi  
gratiam configurerunt. dictus autem rex Stephanus tante fuit sanctitatis,  
quod Deus per ipsum multa miracula est operatus, ita  
quod ab Ecclesia fuit canonicatus et eius festum apud Hungaros  
sollemniter agitur et in devocione et reverentia multa  
habetur. ideo [in] laudem istius sancte femine potest dici [Page 285]

illud quod dixit Salomon: "Mulierem fortem quis inveniet?".  
certe multe mulieres inveniuntur debiles, paucae fortes. una tantum  
fuit fortissima. debiles sunt que aut temptationibus succumbunt  
aut peccatis non resistunt aut Deo debiliter serviunt.  
fortes sunt que mundum et carnales delicias pro Christi nomine  
despicerunt, sicut fuerunt sancte virgines, que pro Christi fide martirium  
sunt passe, in numero autem forcium possumus predictam  
sanctam Gallam numerare, que, etsi non sit passa martirium,  
tamen fecit maius bonum commune, quando scilicet  
unam gentem convertit ad Christum. sola autem Virgo beata  
fuit fortissima, que invincibilem vicit et omnipotentem superavit,  
quando scilicet per suam humilitatem et virginitatem Deum in uterum  
suum descendere fecit. circa hec tempora, cum quidam  
predones omnes peregrinos ad Apostolorum limina pergentes  
spoliarent, Gregorius papa .VI. eos excommunicavit et cum  
nollent desistere, manu armata eos fugavit et multos occidi fecit. [Page 286]

cum autem ille ad mortem devenisset et cardinales propter tantam  
cedem eum sepultura indignum adjudicarent, ille ait: "Cum mortuus  
fueris, corpus meum extra fores ecclesie ponite et fores  
diligencius obfirmate et si voluntate Dei aperte fuerint, corpus  
meum intra ecclesiam sepelire. alioquin de eo facite quicquid  
placet". quod cum factum fuisse, porte subito sunt  
aperte et sic corpus eius ibi honorabiliter [fuit] tumulatum.  
ex quo manifeste patet quod illa talia omicidia non livore vindicte,  
sed zelo iusticie fieri procuravit. et si dicitur quod ipse  
fuit irregularis, dicendum est quod papa non potest incurtere [Page 287]

irregularitatem, vel potest dici quod sepe irregularitas sine peccato  
contrahitur, sicut patet in bigamo, et in iudice iusto, qui  
iuste furem tradit suspedio. per idem tempus, cum imperator  
Conradus per quandam silvam venando discurseret, nocte superveniente,  
in domo cuiusdam mulieris pauperis hospitatus fuit.

in qua nocte mulier illa filium parturivit, et ecce vox ad imperatorem  
venit, dicens quod illum puerum habebit generum et sui imperij  
successorem. ille autem surgens, duobus militibus precepit ut  
illum puerum rapiant et occidant. sed illi, misericordia moti, eum  
in quadam transitu posuerunt, quem quidam dux inventum  
nutriri fecit et Henricum vocavit. qui cum crevisset et esset omnibus  
graciosus, imperator de sua familia eum fecit, et cum esset  
fama et opinio apud omnes quod si imperator decederet, iste pro  
eo regnaret, eo quod imperator filium non haberet, scripsit imperator  
per ipsum litteras imperatrici, que tunc Aquisgrani morabatur,  
quod ipsum ipsa die qua perveniret occidi faceret. verum cum  
in quadam ecclesia hospitatus fuisset, sacerdos, ipso dormiente, litteras  
ex quadam curiositate de bursa illius accepit et eas aperiens,  
scelus abhorruit scripsitque alias litteras sub imperatoris nomine  
ad reginam, ut ipsa die qua Henricus perveniret, filiam suam  
in coniugem sibi daret. sigillum igitur imperatoris diligenter  
apponens, illas litteras, unde acceperat, reposuit. pergens igitur  
Henricus ad reginam, litteras obtulit et illa die filiam,  
imperatoris in uxorem accepit. quod dum imperator audivisset,  
vehementer obstupuit et omnia de illo pueru a die sue nativitatis [Page 288]

usque ad diem illam diligenter inquirens, divine disposicioni  
obviare stultum esse cognovit, et ideo matrimonium approbat  
et ipsum post se regnaturum esse instituit. ille autem Henricus  
post mortem Conradi imperator effectus, in loco illo ubi  
natus fuit nobile monasterium construxit. de Conrado episcopo  
tercio decimo. [Page 289]

Conradus, episcopus tertius decimus, cepit circa annos  
Domini .Mo.XLV. et vixit in episcopatu annis .XX. isti  
Conrado episcopo confirmatum fuit castrum Sancti Romuli  
et Ciliane cum omnibus pertinencijs suis per nobilem virum  
Conradum comitem Vintimilij, sicut patet per instrumentum  
publicum quod in archiepiscopali palacio reservatur. tempore  
huius episcopi electus fuit in papam Alexander nacione Mediolanensis, [Page 290]

contra quem episcopi Lombardie Parmensem episcopum  
in papam eligere sunt conati. Pisani autem illi Parmensi  
episcopo intruso auxilium magnum dabant. Ianuenses  
vero Alexandro fideliter adheserunt. qui Alexander postmodum  
pacifice papatum obtinuit et possedit. circa hec tempora fuit  
comitissa Matildis, que filiam beati Petri se vocans, Ecclesie contra  
imperatorem semper adhesit et sine liberis decedens, patrimonium  
suum super altare Sancti Petri obtulit, unde usque hodie patrimonium  
sancti Petri vocatur. in ista sancta femina completum est  
illud quod dicitur in Ecclesiastico, quia est mulier melior  
viro. quamvis enim fuerit mulier, tamen viriles animos  
semper habuit et Ecclesie devotissima fuit et filium imperatoris  
in maritum accipere recusavit, pro eo quod imperator contrarius  
Ecclesie videbatur. si quis autem eius genealogiam  
scire desiderat, scire debet quod Sigefredus fuit de partibus  
Tuscie magnus princeps. iste in Lombardiam venit et castra et  
terras multas ibi acquisivit. iste Sigefredus genuit Attonem.  
Atto genuit Thealdum. Thealdus genuit Bonifacium.  
Bonifacius genuit comitissam Matildam. ista [Page 291]

autem [cum] de viro suo filium genuisset, propter dolores  
partus, quos ibi sensit, noluit postea viro suo coniungi et sic, illo  
puero mortuo, tota sua progenies finita fuit. ista comitissa  
multas civitates in Lombardia habuit, scilicet Mantuam, Ferariam,  
Mutinam, Regium et Parmam. que sine herede decedens,  
Ecclesiam Dei fecit heredem. circa hec tempora fioruit Lanfranchus  
nacione Papiensis, doctor eximius et magister Anselmi doctoris  
precipui. iste Lanfranchus, cum Parisios regeret,  
scolis abrenunciavit et ad ignotam regionem accedens,  
in humilitate maxima Deo serviebat. eo autem tempore Berengarius,  
quidam doctor sollempnis, qui Parisios in theologia  
regebat, venenum diffudit quod timore Lanfranchi effundere  
non audebat, asserens corpus Christi non esse in altari secundum  
veritatem, sed secundum quandam representacionem. cum [Page 292]

igitur ad curiam fuisset citatus et contra istum errorem fuisset concilium  
convocatum, audiens hoc Lanfranchus, illuc perrexit in  
habitu peregrini, ita quod a nemine cognoscebatur. et cum eleganter  
contra Berengarium disputasset, ille obstupuit et ait:

"Aut tu es dyabolus aut tu es Lanfranchus". et sic ille confusus  
heresim abiuravit. Lanfranchus postmodum factus est archiepiscopus  
Cantuariensis, cui Anselmus in archiepiscopatu successit.  
circa hec tempora, prout in cronicis legitur, in Apulia  
erat quedam statua marmorea, que circa caput suum ab antiquo  
scriptum habebat: "Kalendis maii, oriente sole, caput habebo  
aureum". quidam igitur Sarracenus astrologus mane in loco,  
ubi statua umbram capitatis iaciebat, fodi fecit et magnum thesaurum  
ibi reperit. statua vero illa umbram capitatis super aurum  
tenuit et sic caput aureum habuit. de Alberto sive Oberto  
episcopo quarto decimo.  
Albertus sive Obertus, episcopus quartus decimus, cepit circa  
annos Domini .Mo.LXV. et vixit in episcopatu annis .XIX.[Page 293]

huius episcopi tempore Ildebrandus, prior Cruniacensis, factus  
est cardinalis et postmodum legatus in Franciam est directus.  
iste tanti zeli fuit, maxime contra symoniacos, quod eos ubique  
persequebatur. verum cum archiepiscopus Ebredunensis simonie  
vicio depravatus esset et per symonianam intrasset,  
volens sibi sagaciter providere, omnes accusatores suos pecunie  
datione corrupit. et cum dictus legatus, fama clamante, inquireret,  
contra eum testes ydoneos non poterat invenire ex eo quod  
omnes erant pecunia depravati. propter quod concilium convocans[Page 294]

contra eum, ipsum in medium surgere fecit dicens:  
"Ex quo non possum habere humanum iudicium, recurro ad  
Dei auxilium. cum igitur episcopalnis gratia sit Spiritus sancti  
donum, si istam gratiam emisti peccunia, rogo Spiritum sanctum  
ut ipsum non valeas nominare. dicas igitur versiculum  
illum, qui toties in ecclesia decantatur, scilicet "Gloria Patri  
et Filio et Spiritui sancto". cum igitur ille intrepidus incepisset,  
"Gloria Patri et Filio" distincte dixit. cum vero ad "Spiritum  
sanctum" pervenit, sibi loquela deficit et mutus effectus, balbuciens  
loquebatur. cum autem iterum reinciperet, cum ad  
"Spiritum sanctum" deveniebat, loquela sibi protinus deficiebat.  
quod ille videns, ingemuit et peccatum suum coram omnibus confitens,  
in manibus legati archiepiscopatum abrenunciavit. cum  
autem magnam compunctionem ostenderet, dixit ei legatus: "In  
hoc cognoscemus quod non ficte, sed vere penites [et]  
quod Spiritus sancti gratiam recuperasti, si ipsum poteris nominare.  
nunc igitur dicas iterato illum versiculum benedictum".  
quem ille quidem cum timore incepit, sed cum devocione et alacritate  
finivit, et sic omnibus notum fuit quod ille veram contritionem  
et confessionem habuit, et quod gratiam Spiritus  
sancti, quam perdiderat, recuperavit. sancti enim Patres symoniacos[Page 295]

valde persecuntur, et racio est quia symonia est peccatum  
quod proprie committitur in Spiritum sanctum, quia symoniacus  
vendit vel emit ecclesiastica beneficia, vel Ecclesie sacramenta,  
que [sunt] Spiritus sancti dona. ideo cum Symon  
Magus vellet peccuniam dare Apostolis, sicut legitur in Actibus  
Apostolorum, ut ipsi sibi darent potestatem dandi alijs Spiritum  
sanctum sicut Apostoli dabant, imponendo scilicet manus super  
illos, dixit ei Petrus: "Pecunia tua tecum sit in perdicionem,  
quoniam existimasti donum Dei peccunia possideri". est  
etiam symonia, prout dicit sanctus Ambrosius, malum usitatum  
et ideo severiori mucrone est succidendum; est iterum, ut idem  
dicit, malum cancerosum et ideo ferrum ignitum est sibi  
adhibendum. nam, sicut dicitur in Decreto, omnia crimina  
ad comparacionem symoniace heresis pro nichilo reputantur.  
istud autem ad terrorem et in detestacionem criminis illius  
dictum est. de Conrado episcopo quinto decimo.[Page 296]

Conradus, episcopus quintus decimus, cepit circa annos Domini  
.Mo.LXXXI. et vixit in episcopatu annis sex. huius episcopi  
tempore Ildebrandus, de quo supra dictum est, factus  
est papa et Gregorius appellatus. iste, synodo celebrata, excommunicavit  
omnes clericos occidentalis Ecclesie uxoratos et concubinarios,  
et eorum missas audiri penitus interdixit; de quo tantum  
scandalum exortum est, ut nullius heresis tempore sancta  
Ecclesia graviori scismate sit concussa, ita quod, favore Henrici  
imperatoris, Guibertum archiepiscopum Ravenatem papam scismatice  
creaverunt et Gregorium deposuerunt. Pisani quoque  
Guiberto scismatico totis viribus adheserunt, Ianuenses vero Gregorio  
auxilium fideliter prebuerunt. dictus vero Gregorius Henricum

imperatorem excommunicavit et Guibertum perpetuo  
anathemate dampnavit. circa hec tempora fuit quidam vir[Page 297]

potens et dives, quem subito comedentem innumerabilis murium  
multitudo vallavit et ipsum rodere et comedere cepit.  
quocumque autem ille ibat, semper ipsum multitudo murium  
sequebatur et nullum alium contingebant. ille igitur barcham  
ascendens, mare intravit, sed mures in mare precipites se dabant,  
ipsum similiter insequentes. tandem ad terram rediens, ab  
ipsis muribus penitus est comedus. que autem sit causa  
quare mures istum hominem tam crudeliter persecabant ignoramus,  
quia Dei iudicia sunt nimis profunda. iudicia quidem  
Dei aliquando sunt manifesta, aliquando oculta, semper tamen  
sunt iusta. forte iste homo potens et dives multos alios corroserat  
vel famam eorum lacerando, vel bona ipsorum rapiendo, vel personales  
iniurias inferendo. et ideo sicut alios vivos corroserat,  
iustum fuit ut ipse vivus a muribus corroderetur, ut  
compleatur quod dicitur in libro Sapiencie: "Per que  
peccat quis, per hec torquetur". legitur quoque in Veteri  
Testamento quod Deus Egiptios superbos per vilissima animalia  
voluit punire, sicut per multitudinem ranarum, per sinifes  
et per muscas caninas; ut ipsi, videntes se tam vilissimis[Page 298]

animalibus non posse resistere, suam agnoscerent vilitatem.  
eodem modo forte iste superbus extiterat et ideo Deus eius  
superbiā per tam vilissima animalia humiliare voluit. et,  
sicut dicitur in Libro Sapientie, poterat Deus in Egyptios  
immittere leones vel ursos, qui ipsos devorarent, sed  
paulatim per ista animalia vilissima eos voluit punire ut ipsi  
haberent spaciū penitendi. eodem modo Deus potuisse  
in istum hominem immittere leonem vel ursum, qui ipsum  
subito devorarent, sed voluit ut mures paulatim eum comedenter,  
ut ipse spaciū penitendi haberet. legitur quoque in libro  
Regum quod quedam gens, que dicebatur Philistei, archam Dei  
a filiis Israelis abstulerant, propter quod Deus in [eos] commisit  
multitudinem murium, qui ipsos et omnia corrodebat,  
ita quod ipsi Philistei, coacti, archam reddiderunt. ideo  
enim non per leones, sed per mures, qui sunt animalia vilissima,  
illos et istum Deus punire voluit, ut ipsi suam vilitatem  
agnoscerent et ut spaciū penitendi haberent. sanctus quoque  
Augustinus reffert quod quidam Romanus credebat esse malum  
augurium quando mures in domo aliquod corrodebant. quadam  
igitur nocte mures caligas suas corroserunt. mane igitur  
facto, ivit ad Catonem sapientissimum, ut sibi indicaret quid  
hoc significaret. Cato autem derisive sibi respondit dicens: "Non  
est mirum si mures corroserunt caligas, sed hoc fuisset[Page 299]

valde mirum et malum indicium si ipse calige corrosissent  
mures". forte igitur iste homo, de quo supradictum est, sicut  
et ille romanus auguria murium observabat, et ideo conveniens  
fuit ut tanquam augur murium a muribus puniretur. per idem  
tempus, sicut in cronicis legitur, omnes pisces in aquis mortui  
sunt et galine et cetere aves domestice, a domibus fugientes,  
facte sunt silvestres, et multa alia portenta illis temporibus  
acciderunt. nec mirum si tunc talia monstra accidebant,  
quia tunc Guibertus scismaticus defendebatur et Gregorius,  
vir sanctissimus, fugabatur. de Ciriaco episcopo sexto decimo.[Page 300]

Ciriacus, episcopus sextus decimus, cepit circa annos Domini  
.MoLXXX. et vixit in [episcopatu] annis novem. huius  
episcopi tempore mortuus est supradictus papa Gregorius et successit  
ei papa Urbanus. iste Urbanus Guibertum archiepiscopum  
Ravenatem, qui papatum usurpaverat, et Henricum  
imperatorem, qui sibi favebat, excommunicavit et in Franciam  
timore imperatoris fugit. inde autem Ianuensis scripsit et  
legatum Ianuam destinavit, rogans, tanquam Ecclesie filios  
et devotos, ut Terre sancte subvenirent. cum alie communitates[Page 301]

auxilium denegassent, Ianuenses igitur armaverunt tam navium  
quam galearum exercitum copiosum et in Syriam sunt profecti  
habentes secum galeas .XL., ubi erant multi peregrini cruce signati  
et multi nobiles et barones sub Gofredo de Bugnono, duce Lotoringie,  
qui omnes Anthiochiam perrexerunt, eam a Sarracenis  
recuperare volentes. sanctus autem Andreas apostolus,  
cuidam viro fideli et devoto apparuit dicens: "Veni, ostendam

tibi lanceam cum qua perforatum fuit latus Domini nostri Yhesu Christi. istam lanceam ante exercitum portabitis et victoram obtinebitis". cum igitur dictus vir locum ab apostolo ostensem invenisset, duci exercitus alijsque principibus hoc studuit intimare. ipsi igitur in loco fodientes, ipsam lanceam invenerunt. qua inventa, tanquam certi de victoria, ipsam lanceam ante exercitum cum reverencia deportabant et sic ad Anthiochiam viriliter accedentes, ipsam de manibus Sarracenorum recuperaverunt. exercitum quoque maximum Sarracenorum, qui Anthiochiam redierat et ipsam obsidebat, [debellaverunt].[Page 302]

Ianuenses cum ceteris peregrinis [Saracenos] penitus fugaverunt et sic ad propria redierunt, anno scilicet Domini .Mo.LXXXXo.IX. dum vero quedam naves Ianuensium ab expedicione Anthiochie redirent et portui Patere applicuissent, iverunt Mirream, que vulgariter dicitur Stramirra, ubi corpus sancti Nicolay olim quiescebat, ubi etiam reliquie sancti Iohannis Baptiste servabantur. Ianuenses igitur dictas reliquias sancti Iohannis Baptiste accipientes, Ianuam deportaverunt. et quoniam dicitur in Ystoria translacionis, dictarum reliquiarum[Page 303]

quod tunc sedes pontificalis Ianuensis vacabat, videtur quod deportate fuerunt mortuo Ciriaco et nundum electo vel confirmato Ayrardo, scilicet anno Domini millesimo .LXXXIXo. quia vero, annuente Deo, specialem tractatum de translacione predictarum reliquiarum sancti Iohannis Baptiste facere intendimus, ideo hic sub compendio pertransivimus ut ostendere intendimus. Ad presens autem istud dicere sufficiat quod .I.IIIor. modis ostenditur quod ille reliquie, quas Ianuenses de Stramirra detulerunt, [fuerunt] reliquie Iohannis Baptiste. et primo ostenditur scripturis. nam in multis legendis antiquis sancti Nicolai legitur quod supradicte reliquie servabantur ibidem. secundo hoc ostenditur iuramentis. monachi enim dicte ecclesie coram Ianuensibus iuraverunt quod a patribus suis, qui precesserunt, pro certo habebant quod ille reliquie sancti Iohannis Baptiste erant. tertio hoc ostenditur miraculis,[Page 304]

que quidem fuerunt et dum portarentur et postquam deportate fuerunt. quarto hoc ostenditur privilegijs Apostolice sedis. nam Alexander papa .I.IIs. et Innocencius .I.IIIs. hoc suis privilegijs approbarunt, scribentes per diversas provincias quomodo reliquie sancti Iohannis sunt Ianue, et hortantes ut omnes illuc accedant, et indulgenciam accendentibus largirentur. de ipsa autem translacione vel revelacione ystoriam et ymnos metrice composuimus, que omnia in ecclesia Sancti Laurentij sollempniter decantantur, de Ayraldo episcopo decimo septimo.[Page 305]

Ayrardus Guarachus, episcopus decimus septimus, cepit circa annos Domini .Mo.LXXXIXo. et vixit in episcopatu annis .XVII. anno vero huius episcopi electionis Ianuenses iam[Page 306]

armaverunt galeas .XL., cum quibus in Siriam profecti sunt. ceperuntque cum exercitu peregrinorum Ierusalem et Acharon et Gibeletum Minorem; Anthiochiam quoque illis temporibus, ut supradictum est, ceperunt; insuper ceperunt Cersonam, Arzotum et Tortosam, et Godofredum de Bugnono regem Ierusalem creaverunt. ipse tamen ob humilitatem nunquam voluit portare coronam auream ubi Christus portavit coronam spineam. his etiam temporibus Ianuenses ceperunt Baruthi et Sydonem. qualiter autem Ianuenses predictis captionibus semper interfuerunt et auxilium prebuerunt,[Page 307]

scriptum erat litteris aureis in troina sancti Sepulcri, in quibus etiam civitatibus Ianuenses multa iura et regalia habere consueverant, huius episcopi tempore, scilicet anno Domini .M.CI. vas smaragdinum, quod vulgariter dicitur scutella sancti Laurentii, fuit Ianuam deportatum. videamus igitur qualiter dictum vas fuit habitum et ad civitatem Ianue delatum. Anno quidem Domini .M.C. Ianuenses galeas .XXVI. et naves .VI. in Syriam direxerunt, ubi eciam per totum illum annum moram fecerunt. invento autem quod Godofredus, rex Ierosolimitanus,[Page 308]

mortuus esset, elegerunt omnes Christiani Balduinum, fratrem eius, in regem. dictus igitur Balduinus et

exercitus Ianuensium et Gallicorum et ceterorum Christianorum,  
qui in partibus illis erant, ad Cesaream, civitatem  
Sarracenorum, audacter accesserunt, potenter ipsam obsederunt  
et triumphaliter eam ceperunt. Ianuenses quidem ad  
portum lopem venientes et galeas ad terram trahentes, cum  
ipso rege Balduino et cum Daberto, patriarcha Ierosolimitano,  
et universo exercitu Christianorum Cesariam venerunt.  
dictus autem patriarcha admonuit ut sequenti die omnes communicarent,  
confessione premissa, et sic ad muros civitatis ascenderent  
quod cum fuisset factum, consul Ianuensis, nomine  
Guillielmus Malij, scalam galea sue muro adhibuit et  
cum suis de galea sua ascendere cepit. sed subito scala fracta  
fuit et dictus consul solus in muro remansit. Sarraceni autem  
fere omnes iam primum murum reliquerant et ad secundum  
confugerant. tunc ille consul quandam turrim, que erat in  
muro, intravit et fortiter exclamavit: "Ascendite, ascendite, quia  
nostra est civitas". quidam ascendentes ad secundum  
murum cucurrerunt et Ianuenses per quandam palmam, que  
in muro adhærebat, murum ascenderunt et sic civitatem  
ceperunt. Patriarcha autem et quidam alias Apostolice sedis  
legatus, qui ibi erat, muscetam maiorem in honorem sancti  
Petri apostoli, aliam vero in honorem sancti Laurencij[Page 309]

consecraverunt. erat autem in predicta civitate vas quoddam  
smaragdinum et inextimabiliter preciosum. capta  
igitur civitate predicta a predictis, de communi consensu tres partes[Page 310]

omnium, que ceperant, facere voluerunt. in prima igitur parte  
supradictum vas smaragdinum assignaverunt. pro secunda  
parte corpus civitatis cum omnibus rebus immobilibus posuerunt.  
pro tercia parte totum thesaurum civitatis et omnia mobilia  
statuerunt, ordinantes ut Ianuenses, qui in captione supradicte  
civitatis fuerant principales, partem illam acciperent quam magis  
vellent. reliquam partem haberet rex Balduinus. aliam partem  
haberet totus aliis exercitus. Ianuenses igitur, ceteris  
alijs partibus omissis, vas illud smaragdinum pro sua  
parte acceperunt et Ianuam cum multo gaudio ipsum deportaverunt.  
quod autem illud vas sit verissimus lapis smaragdinus  
testantur omnes gemmarij, qui illud vident, dicentes  
se nunquam vidisse tam preciosum smaragdinum. istud  
etiam manifestum est per hoc quod apud Cesaream tanti precij  
extimabatur, quod cum tota civitate, vel cum toto thesauro civitatis  
fuit equaliter extimatum. quomodo enim verisimile est  
quod supradictam lapidem smaragdinam ad valorem tocius  
civitatis vel tocius thesauri civitatis pro una parte equaliter  
posuissent, nisi eis pro certo constitisset quod verissimus  
smaragdinus esset? est autem supradictus lapis smaragdinus  
tanti fulgoris et tam mirabilis claritatis, quod omnes alij smaragdi  
et ceteri lapides preciosi, iuxta illum positi, a suo fulgore deficiunt  
et pre nimio illius splendore a sua claritate pallescent. sicut  
enim, adveniente luce solis, omnia celi luminaria obumbrantur,[Page 311]

sic in presentia illius lapidis ceteri lapides preciosi a suo fulgore  
destituuntur. est vero vas illud factum ad instar chatini,  
unde vulgariter dicitur quod fuit ille chatinus in quo Christus  
cum suis discipulis in cena comedit, de quo dixit Christus: "Qui  
intingit mecum manum in chatino, hic me tradet". utrum  
autem hoc verum sit ignoramus; sed quoniam Deo nichil  
est impossibile, ideo istud nec constanter asserimus nec  
pertinaciter denegamus. qui igitur hoc voluerit credere non est  
arguendus de levitate, et qui noluerit credere non est reprehendendus  
de temeritate. sed forte aliqui obcient et dicent quod Christus  
in omnibus factis suis semper exemplum exibuit maxime  
humilitatis. in chatino autem smaragdino tam precioso  
comedere non fuisset exemplum humilitatis prebere,  
sed cuiusdam vanitatis exemplum dare. sed ad istam questionem  
potest de facili responderi. certum est enim quod cibos communes  
in chatino smaragdino comedere esset quedam vanitas sive  
ponpa. sed agnum paschalem et sacramentalem, quem  
Christus in cena cum discipulis suis comedit, talem inquam  
agnum sacramentalem in chatino aureo sive smaragdino comedere  
non fuisset pompa, sed devocio et reverencia magna.  
ille enim agnus in igne assatus representabat Christum, qui  
fuit agnus per innocentiam et assatus in cruce per acerrimam[Page 312]

penam. sicut igitur modo sacramentum corporis et sanguinis Christi  
in calice aureo vel smaragdino sumere non esset pompa  
aliqua, sed devocio et reverencia magna, sic agnum illum paschalem  
et sacramentalem in chatino aureo vel smaragdino  
comedere non fuisset nota vanitatis, sed exemplum divine reverencie  
et devacionis. illud autem sub silencio pretereundum  
non est quod in quibusdam libris Anglorum reperitur  
quod quando Nicodemus corpus Christi de cruce depositus, eius  
sanguinem, qui adhuc recens erat et ignominiose dispersus fuerat,  
recolegit in quodam vase smaragdino, sibi a Deo divinitus  
preparato. et illud vas dicti Anglici in libris suis Sangraal appellant.  
illud autem vas Nicodemus cum multa reverencia  
multo tempore custodivit. tempore autem procedente, Cesaream  
fuit translatum et tandem Ianuam est deductum. dignum  
igitur fuit ut illud vas esset preciosum, in quo reponi debebat  
preciosus thesaurus sanguinis Ihesu Christi. sicut enim  
precioso sanguini Christi nichil visibile vel creatum potest  
aliqualiter comparari, sic fuit conveniens ut in vase tam precioso  
poneretur, quod nunquam posset alicubi tam preciosum vel simile [Page 313]

reperiri. quod autem ipsum vas non fuit arte humana  
factum, sed Divina virtute productum, intendimus ostendere dupli-  
cione. una racio est quia, si factum fuisse aliqua arte  
humana, videretur quod plura alia similia debuissent in orbe fuisse  
aliquando fabricata. sed a principio mundi usque nunc simile  
opus non est inventum in toto orbe terrarum. aliam rationem  
ad hoc probandum inducimus forciorem. constat enim quod  
illud quod producit natura perfectius est quam illud quod producit  
ars humana. illud vero quod miraculose producit virtus Divina  
perfectius est quam illud quod producit ars humana, vel natura.  
dicamus igitur exempli gratia quod lapides, qui dicuntur preciosi,  
tribus modis possunt fieri. primo ab arte humana, peritissimi  
enim gemmarij suo artificio vitrum sive cristallum tam subtiliter  
et artificiose depingere sciunt, quod videntur esse lapides  
preciosi. illi tamen lapides preciosi non habent aliquam perfectionem [Page 314]

nec aliquam veritatem, sed tantum apparentiam veritatis.  
secundo lapides preciosi fieri possunt a natura quemadmodum  
videmus in terre visceribus et virtute solaris radij  
preciosos lapides generari, et illi tales lapides habent quandam  
veritatem, sed non habent totalem perfectionem. quia non est  
aliquis lapis preciosus ita fulgidus vel decorus, qui non posset  
adhuc maiorem habere fulgorem et decorem. tertio possunt  
fieri lapides preciosi miraculose et virtute Divina, sicut legimus de  
sancto Iohanne evangelista, qui lapides de litore maris coram se  
adduci fecit et eos in gemmas et lapides preciosos convertit,  
et illi lapides preciosi habuerunt veritatem et totalem perfectionem;  
nullus enim gemmarius scivisset dicere quod fulgori et  
pulcritudini illorum lapidum aliiquid defuisse. dicimus ergo  
quod si omnes gemmarij de mundo insimul consistent et istud vas  
smaragdinum coram haberent, in tantum est perfectum et in  
sui materia et in sui forma et in suo fulgore et decore, quod  
nullus sciret dicere quod eius fulgori vel decori aliiquid posset  
addi, nec quod posset ibi aliiquid meliorari. ex quo videtur quod  
non fuit opus nature nec artis humane, quia illa opera non sunt  
perfecta, sed videtur quod sit inductum a virtute Divina, quia  
illa opera totaliter sunt perfecta, ita quod ad perfectionem illam nichil [Page 315]

conferre potest natura, nichil meliorare potest ars humana.  
tempore etiam istius episcopi, scilicet anno Domini .Mo.C.XIII.,  
Ianuenses castrum Portus Venerij edificaverunt. scribitur autem  
corrupte et profertur improprie quando scilicet Portus Veneris  
vocatur. deberet enim dici Portus Venerij a quodam sancto,  
qui dicitur Venerius, cuius corpus ibi prope, scilicet in insula  
Tini, requiescit. olim enim dicebatur Portus Lune, ex eo quod  
erat portus civitatis Lunensis, que modo funditus est destructa.  
sed, portato illuc corpore supradicti sancti, Portus Venerij  
est appellatus. hoc tempore etiam inventa est moneta  
denariorum, qui bruni dicebantur; prius enim cives Ianuenses  
papiensibus utebantur. tempore etiam huius episcopi Ianuenses  
Callarim cuperunt et domino suo, qui dicebatur Marianus, [Page 316]

restituerunt, qui communi Ianue fidelitatem fecit et ecclesie Ianuensi  
omni anno in signum feudi libram unam auri dare promisit.  
et Paschalis papa hoc per suum privilegium roboravit. tempore

istius episcopi sanctus Bernardus, abbas Clarevallensis,  
vir nobilis genere et scientia preclarus et sanctitate conspicuus,  
florebat. iste Bernardus, doctor precipuus, mortuo Ayrardo,  
in Ianuensem episcopum est electus. cum igitur nuncij sollempnes,  
missi de Ianua, decretum electionis sibi presentassent,  
ipse nec consensit nec renuit, dicens se non esse sui iuris, sed  
ordinis sui [et] summi pontificis. cum igitur Ianuenses ad summum  
pontificem pro confirmatione misissent, noluit summus  
pontifex assentire, ex eo quod Ecclesie generali utilis et necessarius  
nimis erat. iste Bernardus epistolam pulcrum et dilectione  
plenam Ianuensibus destinavit, in qua eos commendat de[Page 317]

magna fide, de multa ad Ecclesiam devocione et de operibus  
pietatis, hortans eos ut in istis usque ad finem debeat perseverare,  
taliter concludens: "Tolle perseveranciam, nec obsequium  
mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo".  
de Octone episcopo decimo octavo.[Page 318]

Octo, episcopus decimus octavus, cepit circa annos Domini  
.Mo.C.XVII. et vixit in episcopatu annis tribus, et post mortem  
suam episcopatus annis tribus vacavit iste fuit abbas sancti  
Victoris de Marsilia, de regali prosapia Francie generatus. iste  
secundo anno sui episcopatus corpus sancti Syri de loco cancellarum  
chori Sancti Laurentij substulit et ipsum reverenter  
subtus altare eiusdem martiris collocavit. eodem quoque[Page 319]

anno papa Gelasius, Ianue consistens, ecclesiam Sancti  
Laurencij, presentibus episcopis Placentino, Astensi, Aquensi et  
pluribus alijs prelatis, sollempniter consecravit, multis autem  
indulgencijs supradictus papa ecclesiam ipsam dotavit et privilegijs  
comunivit. quo autem tempore ipsa ecclesia Sancti  
Laurencij constructa fuerit, vel quis eam primo edificaverit,  
in nulla scriptura hoc potuimus invenire. scimus autem pro certo  
quod tempore Sabbatini episcopi, qui fuit episcopus tertius  
a sancto Syro, iam erat constructa, quia legitur in legenda sancti  
Romuli et in registro nostri palacij quod ipse Sabbatinus  
corpus sancti Romuli de Villa Matuciana substulit et subtus[Page 320]

altare sancti Laurentij venerabiliter collocavit. si igitur tempore  
Sabbatini ecclesia Sancti Laurentij iam erat edificata, satis probabile  
est quod tempore sancti Syri iam erat constructa, maxime  
cum inter Sabbatinum et sanctum Syrum non fuerit nisi sanctus  
Romulus. sed ideo corpus sancti Syri non fuit in ecclesia  
Sancti Laurentij sepultum, quia sedes pontificalis adhuc ibi non  
erat, sed erat in basilica Duodecim Apostolorum, que modo  
dicitur monasterium Sancti Syri. credimus autem quod opus  
tam sumptuosum et nobile ecclesie Sancti Laurentij fecit commune  
Ianue et non persona aliqua specialis. est autem ecclesia[Page 321]

ipsa Sancti Laurentij multe sanctitatis, dignitatis et auctoritatis.  
tante quidem sanctitatis est quod multa sanctorum corpora  
ibi servantur, scilicet corpus sancti Iohannis Baptiste, sanctorum  
Syri, Felicis et Romuli. sunt etiam ibi tres cruces, in quibus de  
ligno vere Crucis magna porcio habetur. sunt etiam ibi  
alie multe reliquie pretiose, quas enumerare longum esset. est  
etiam Ecclesia ipsa tante dignitatis, quod de ipsa multi cardinales et  
summi pontifices prodierunt, scilicet dominus Innocentius .III.s  
et dominus Adrianus, qui ambo de comitibus Lavanis  
extiterunt. est etiam tanta auctoritatis, quod tanquam  
metropolitana in tota sua provincia optinet principatum. causa  
autem quare dictus Gelasius papa Ianuam venit fuit ista. ipse  
namque Gelasius sine conscientia imperatoris electus fuerat nec  
ab ipso aliquem consensum voluerat postulare, propter quod  
imperator indignatus quendam Yspanum, nomine Burdinum,  
in papali sede constituit et Benedictum ipsum vocavit. Gelasius  
autem papa, timore imperatoris, cum suis cardinalibus Gayetam[Page 322]

perrexit et inde Ianuam legatum misit, rogans Ianuenses ut  
galeas sibi mitterent, cum quibus Ianuam venire posset et inde  
in Franciam proficiisci valeret. propter quod Ianuenses continuo  
galeas armaverunt et dictum papam Gelasium Ianuam cum  
gaudio deduxerunt. Pisani vero, e contrario, imperatori favebant  
et Gelasio pape per omnia contrarij erant. iniuste autem et  
irrationabiliter iste imperator contra papam Gelasium motus  
fuit, quia imperator supra summum pontificem ius aliquod

non habet, sed pocius, e converso, summus pontifex supra imperatorem iurisdictionem multam exercet, quia electum examinat, examinatum confirmat. coronatur autem imperator tribus coronis. primo enim coronatur corona argentea Aquis Grani in regem Alamanie. secundo coronatur corona [Page 323]

ferrea apud Modoetiam, que est in comitatu Mediolanensi, in regem Ytalie. tertio coronatur corona aurea Rome per summum pontificem, in Romanorum imperatorem. papa igitur de imperatore habet iudicare, non imperator de papa. fecit enim Deus in firmamento celi duo magna luminaria. luminare maius ut precesset diei et luminare minus ut precesset nocti. nam in firmamento celi, hoc est in Ecclesia universalis, Deus fecit duo magna luminaria, quia ibi duas instituit dignataes, que sunt pontificalis dignitas et regalis seu imperialis potestas. sed illa, que preest diebus, idest spiritualibus, maior est. illa vero, que preest noctibus, idest carnalibus, minor. ut quanta est inter lunam et solem, tanta est inter summum pontificem et imperatorem differencia cognoscatur. sicut igitur luna soli nichil tribuit, sed sol lune totam lucem infundit, sic imperator supra summum pontificem nullam habet auctoritatem, sed summus pontifex super imperatorem multam exercet iurisdictionem, dicente Apostolo: "Spiritualis omnia diiudicat et" [Page 324]

ipse a nemine iudicatur". non solum autem papa electionem imperatoris habet examinare, confirmare et ipsum coronare, sed etiam, exigente sua culpa et contumacia, potest ipsum ab imperio deponere, quemadmodum quidam papa nomine Gregorius depositus Leonem imperatorem, qui [Christi] ymagines et omnium sanctorum ubique comburi faciebat. Innocentius etiam tercarius depositus Octonem, qui iura Ecclesie violabat. Innocentius quoque .III.s depositus Fredericum, qui contra Ecclesiam tyrannidem exercebat. et quoniam de imperio facta est mocio, ideo sciendum est quod sedes imperialis et ius imperij primo fuit apud Romanos et mansit inter eos per annos .CCCLI., a tempore scilicet Octaviani, primi imperatoris, usque ad tempora Constantini Constantinus enim, a beato Silvestro baptizatus et curatus, sedem imperij occidentalis cum omnibus insignijs imperialibus sancto Silvestro et successoribus suis concessit et Constantinopolim ad similitudinem Rome edificavit et in Greciam profectus fuit et Romaniam, quasi nova Roma esset, appellavit et ibi sedem imperij sibi elegit. mansit autem sedes et ius imperij apud Grecos per annos .CCCCLX., a primo scilicet Constantino usque ad Karolum Magnum. tunc [Page 325]

enim primo imperium fuit divisum, Grecorum scilicet et Latinorum, et facti sunt imperatores: unus Grecorum, qui vocatus est imperator Constantinopolitanus, et alias Latinorum, qui vocatus est imperator Romanus. et sic in Karolo ius imperij translatum est ad Francos, et tenuerunt ipsum per annos centum, tandem fuit quidam imperator de gente Francorum et de genere Karoli, nomine Lodovicus, qui sine liberis mortuus est. et ideo Theotonici quendam Theotonicum, nomine Conradum, in regem Alamanie elegerunt, qui postmodum a papa coronatus fuit in imperatorem et sic ius imperij translatum est ad Theotonicos circa annos Domini nongento triginta, quod etiam usque hodie tenent. huius Ottonis episcopi tempore, scilicet anno Domini .Mo.C.XX. incepta fuit gravis guerra inter Ianuenses et Pisanos. Ianuenses autem armaverunt galeas .LXXX. et gatas .XXXV. et naves portantes machinas, in quo exercitu viginti duo milia hominum fuisse dicuntur. eentes igitur Pisas per Arnum fluvium, sic terruerunt [Page 326]

exercitum Pisanorum, quod Pisani de mense septembbris, in festo scilicet sanctorum Cornelii et Cipriani, de lite Corsice pacem in voluntatem communis Ianue iuraverunt; sed postmodum infideliter servaverunt, Plumbinum quoque Ianuenses destruxerunt. sequenti autem anno Ianuenses lugum cum magno exercitu militum et peditum transeuntes, Flaconem, Petram Bixariam et quedam alia castra preliando ceperunt. castrum vero Vultabij ab Alberto, marchione Gavij, emerunt. de Sigefredo episcopo decimo nono. Sigefredus, episcopus decimus nonus, cepit circa annos Domini millesimo centesimo vigesimo .Ilo. et vixit in episcopatu

annis .VI. et vacavit episcopatus anno uno. tempore huius[Page 327]

episcopi fuit papa Calixtus, qui Pisanos tanquam Ecclesie rebelles excommunicavit. insuper et synodum convocavit, ubi sententialiter diffinivit quod archiepiscopus Pisanius de consecrationibus episcoporum Corsice se nullatenus intromittat, et omnes ecclesias insule Corsice ab eius iurisdicione removit. anno autem Domini .Mo.C.XXIII., cum naves .XXII. Pisanorum de Sardinea onuste multis mercibus venirent et galeas .IX. pro sui securitate haberent, septem galee Ianuensium ad eas properabant. galee autem Pisanorum, hoc videntes, protinus territe aufugerunt. galee vero Ianuensium naves illas ceperunt et Ianuam deduxerunt, de tali captione et inaudita victoria mirantibus et stupentibus universis. tempore huius episcopi, scilicet anno Domini .Mo.C.XXV., incepta est iterum guerra dura[Page 328]

inter Ianuenses et Pisanos, quocirca Ianuenses armaverunt galeas .LXXX. et gatas .XXXV., naves .III. machinas deferentes, et potenter Portum Pisanum intraverunt. deinde ad civitatem per Arnum pergentes, vexilla et tentoria in terra posuerunt et exercitum Pisanorum, qui erat in terra, fregerunt. Pisani igitur omnia, que Ianuenses voluerunt, se facere promiserunt; quocirca Ianuenses, ad carceres properantes et incarceratedos suos accipientes, eos secum duxerunt. castrum quoque Plumbinum ceperunt et funditus destruxerunt, viros et mulieres et pueros Ianuam deducentes. predictus autem Calixtus papa tandem cum imperatore pacem fecit et Burdinum Yspanum, qui papatum[Page 329]

usurpaverat, in Subtrio obsedit et captum, versa facie a tergo, camelio imposuit habentem caudam camelii in manu pro freno et vervecis pelle indutum pro manto. et sic ante se usque ad Romanum fecit ire et in carcere reclusit, ubi etiam vitam finivit. tam severam autem iusticiam Deo non credimus placuisse, ve enim nobis si Deus tam severe nostra crimina vindicaret! iudex enim debet crimina punire, sed tamen in ipsa punitione debet misericordie memor esse, iuxta illud quod dixit Propheta de Deo: "Cum iratus fueris, misericordie recordaberis". quamvis enim nimia misericordia habeat fatuitatem et nimis severa iusticia habeat crudelitatem, tunc est tamen de nimia misericordia, quam de nimis severa iusticia Deo reddere rationem. tempore istius episcopi Sigefredi, scilicet anno Domini .M.oC.XXV., edificata fuit ecclesia sancti Mathei per nobilem virum Martinum Aurie, auctoritate et licencia domini Honorij[Page 330]

pape, qui Calixto successerat. moderno autem tempore, scilicet anno Domini .Mo.CCo.LXXVIII., nobiles viri de Auria ecclesiam illam antiquam destruxerunt et pulchriorem in loco ulteriori edificaverunt. cum vero in troina ecclesie ymago pulcherrima Christi ab antiquo depicta esset, dolentes si talis ymago debeat destrui, taliter sunt ingeninati, quod illam troynam salvam et integrum cum illa ymagine per brachia .XXV. traxerunt et eam in fundamento, ubi modo est, stabiliter collocaverunt. anno autem Domini .Mo.C.XXIX. Ianuenses galeas .XVIII. contra Pisanos armantes, usque Messanam ad eos inquirendos iverunt et, cum burgenses illi Pisanos adiuvarent, Ianuenses ipsos Pisanos et burgenses extra burgum Messane usque ad palacium regis expulerunt, et ibi navem unam mercibus preciosis onustam ceperunt et Ianuam deduxerunt. capitula duodecime partis. Sequitur pars duodecima, in qua ponuntur nomina, tempora et ordines archiepiscoporum, qui in civitate Ianuensi usque ad nostra tempora extiterunt. et ista pars tot habet capitula, quot ibi[Page 331]

ponuntur archiepiscoporum nomina. ipsorum igitur archiepiscoporum nomina et tempora per ordinem explicemus. de Syro episcopo ultimo et archiepiscopo primo. Syrus, episcopus ultimus et archiepiscopus primus, cepit anno Domini .Mo.C.XXX. et vixit in episcopatu et archiepiscopatu annis .XXXIII. iste Syrus prius fuit cardinalis quem Innocentius[Page 332]

papa secundus, Ianue consistens, cum sedes episcopalibus vacaret, in Ianuensem episcopum consecravit cum autem dictus Innocentius a Ianuensibus in Franciam deductus fuisset et inde Ianuam redivisset, pro magnis servicijs, que a Ianuensibus receperat, archiepiscopatum eis dare promisit, et quia dictus Innocentius a Rornanis fuerat expulsus, auxilio tamen Ianuensium in

suam fuit cathedram restitutus. qui etiam, dum Romam pergeret,[Page 333]

ecclesiam Portus Venerij consecravit. restitutus igitur  
in sua sede, Innocencius Cornetum ivit et ibi inter Ianuenses  
et Pisanos pacem fecit, ubi consistens pro Syro episcopo Ianuensi  
misit et ibi eum archiepiscopum fecit et insignia archiepiscopalia  
sibi dedit, scilicet anno Domini .Mo.C.XXXIII. tres quoque  
episcopatus in insula Corsice, scilicet Maranenses, Nebiensem et  
Acciensem sibi supposuit. duos autem episcopos in partibus istis,  
scilicet Bobiensem et Bruniacensem, in suffraganeos ei dedit.  
nam episcopum Albinganensem archiepiscopo Ianuensi supposuit  
Alexander tercarius. Naulensem vero supposit Innocencius.  
.I.IIIs. tempore huius archiepiscopi, scilicet anno[Page 334]

Domini .Mo.C.XXXIV., facte sunt in Ianua compagnie octo,  
cum primitus non essent nisi septem. iste archiepiscopus Syrus  
dedit monasterio sancti Benigni de Frutera ecclesiam  
Sancti Benigni de Capite Fari, que olim ecclesia Sancti  
Pauli dicebatur, ita tamen quod abbas semper de consilio et assensu  
archiepiscopi eligatur et destituatur, et quod archiepiscopus monachos  
possit corrigere et transferre. et ista omnia per privilegium domini  
Innocentij pape secundi confirmata fuerunt. anno quoque  
Domini .Mo.C.XXXV. galee .XII. Ianuensium Buzeam  
iverunt et multos Saracenos ibi ceperunt. navem quoque  
unam magnam et divitem ibi ceperunt et Ianuam duxerunt.[Page 335]

de peccunia autem et thesauro ibi inventis quelibet illarum  
galeareum libras .DCC. habuisse dicitur. anno vero Domini  
.Mo.C.XLIII. galee .IIIlor. Ianuensium Montem Pesulanum  
ceperunt et Guilielmo de Monte Pesulano, ad quem de iure spectabat,  
reddiderunt. ipse autem Guilielmus Ianuenses in tota  
terra sua liberos fecit et omnia vectigalia eis remisit et fundicum  
Bruni de Tholosia eis dedit. huius archiepiscopi tempore,  
scilicet anno Domini .Mo.C.XXXIXO., moneta que dicebatur brunetorum,  
que tunc Ianue fiebat, cassata fuit, et rex Conradus  
Theotonicus, in imperatorem electus, monetam ianuinorum, que  
usque modo expenditur, Ianuensibus concessit et privilegium  
super hoc cum bulla aurea eis dedit. primo enim in Ianua[Page 336]

expendebantur papienses, deinde bruni, postea bruneti, qui erant  
minores quam primi, ultimo expenduntur ianuini. anno Domini  
.Mo.C.XL., cum Vintimilienses rebellassent, iverunt illuc Ianuenses  
cum magno exercitu pedestri, equestri et navalii, et  
ipsam civitatem per mare ac terram obsidentes, potenter eam ceperunt  
et fidelitatem Ianuensibus tam illos de civitate quam illos de  
comitatu in perpetuum iurare fecerunt. anno Domini .Mo.C.XLVI.  
Ianuenses armaverunt galeas .XXVI. et naves plures, machinas  
portantes, et habentes milites centum cum equis ad prelum preparatis.  
et sic Minoricam perrexerunt et per dies .XXII.  
in eius obsidione steterunt. sed superveniente yeme Ianuam cum  
multis spolijs redierunt. totam autem illam insulam percurrerunt,  
terras capiendo, Saracenos occidendo et spolia auferendo.  
anno autem Domini .Mo.C.XLVIII., cum Saraceni de Armaria  
Christianis multas molestias inferrent, Ianuenses ad preces summi  
pontificis armaverunt galeas .LXIII. et naves cum alijs lignis  
.CLXIII. et omnia ad bellum neccessaria preparantes, Armariam  
profecti sunt. ad quorum auxilium comes Barcelone cum multis  
suis venit. tunc Ianuenses galeas suas in plagia de Armaria traxerunt,  
et sic machinas et gathas et castella erigentes, ad civitatem  
perrexerunt, et multiplici conflictu facto et multo [sanguine]  
hinc inde effuso, Ianuenses tandem victoriam habuerunt; ita[Page 337]

quod illa die viginti milia Sarracenorum occisa fuerunt et decem  
milia inter parvos et magnos et mulieres Ianuam deducta fuerunt.  
et sic, peracta Victoria, Ianuenses cum galeis et navibus Barcilonam  
venerunt, et galeas et naves ad terram trahentes, ibidem  
yemaverunt. ubi galeas et naves reficienes et omnia ad bellum necessaria  
preparantes, cum comite Barcelone Tortosam iverunt  
et in kalendis iulij flumen Tortose cum toto exercitu  
intraverunt. tentoria igitur in terram figentes et vexilla elevantes  
et machinas et gathas et castella erigentes, ad civitatem  
accesserunt, et multis prelijs hinc inde congestis, tandem de  
mense decembri civitatem ceperunt. omnium autem bonorum,  
que ibi inventa sunt, Ianuenses terciam partem habuerunt. duas  
autem partes comes cum suo exercitu asportavit, et sic Ianuenses

post triumphum duarum civitatum cum multa gloria Ianuam redierunt. huius etiam archiepiscopi tempore, scilicet [anno Domini] .Mo.C.LV. Fredericus imperator fidelitatem et obsides et multa alia gravia a Ianuensibus postulabat. que cum sibi denegata fuissent, in furorem magnum acensus est, propter quod viri et mulieres, parvi et magni, die ac nocte ad faciendum muros et fortificia insistebant. et tantum infra octo dies de muro fecerunt, quantum infra unum anni spaciū alia civitas vix fecisset. quod[Page 338]

audiens imperator, a suo proposito destitutus et sola fidelitate contentus fuit. ipsi autem muri civitatis fuerunt postmodum anno Domini .Mo.CLIXo. feliciter consumati et infra spaciū dierum. .LIII. in Dei digito perfecti. est autem dictus murus civitatis supra totum quinque milia quingenti et viginti duo pedes, in quibus etiam muris sunt merli mille septuaginta, qui sunt et ad decorum et ad murorum fortitudinem et ad civitatis et civium tuacionem. huius etiam archiepiscopi tempore, scilicet[Page 339]

anno Domini .Mo.C.LV., Ianuenses cum imperatore Constantinopolitano pacem taliter firmaverunt, quod imperator promisit dare annis singulis communi Ianue quingenta yperpera et duo pallia preciosa. archiepiscopo vero Ianue promisit dare annis singulis sexaginta yperpera et unum pallium deauratum, quod quidem multo tempore fuit ab imperatoribus servatum. isto tempore tercie ab uxoribus fuerunt ablatae. consuetudo enim erat Ianue quod, mortuo marito, uxor habebat terciam partem omnium bonorum viri sui, sive haberet prolem, sive non haberet; et illud tale ius tercie, sive tercia dicebatur. quo circa iste tercie ab uxoribus fuerunt ablatae, et quoniam mulieres de hoc graviter murmurabant et gravatas se nimium reputabant, ideo, ut placarentur, ordinatum fuit quod habeant antifactum. anno Domini[Page 340]

.Mo.C.LVIII., cum Mediolanenses Frederico imperatori resisterent, imperator, congregato magno exercitu tam Theotonicorum quam Ytalicorum, Mediolanum obsedit. Mediolanenses autem territi ad mandatum imperatoris venerunt et novem milia marcharum argenti sibi dederunt et trecentos obsides sibi dare ad constitutum terminum iuraverunt, et sic imperator ab eorum obsidione recessit. huius etiam archiepiscopi tempore, scilicet anno Domini .Mo.C.LXI., magnum scisma in Ecclesia fuit, quod per annos .XIX. duravit. nam maior et sanior pars cardinalium[Page 341]

elegit Alexandrum, virum per omnia reverendum; tres vero ex cardinalibus quendam ex se ipsis, nomine Octavianum, elegerunt et Victorem ipsum vocaverunt. quo in brevi defuncto, alium elegerunt, quem Pascalem appellaverunt. quo subito mortuo, alium creaverunt, quem Calixtum dixerunt.[Page 342]

quo similiter defuncto, elegerunt aliud, quem Innocencium vocaverunt. omnes isti .IIIlor., a papa Alexandro excommunicati, mala morte perierunt. Ianuenses autem domino Alejandro[Page 343]

semper adheserunt, Pisani vero semper contrarij extiterunt. imperator quoque Fredericus illis .IIIlor. scismaticis adhesit et Alexandro contrarius semper fuit. tandem, dum longa concertatio inter papam et imperatorem fieret, divino nutu ad pacem et concordiam apud Venecias devenerunt. cum autem imperator ad pedes pape se humiliiter prostrasset ut de tantis iniurijs veniam peteret, papa super collum imperatoris pedem posuit dicens: "Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem". cui imperator dicitur respondisse: "Non tibi, sed Petro"; hoc est, istam humiliacionem non facio "tibi ratione tui, sed ratione Petri apostoli". hoc eciam[Page 344]

tempore, scilicet anno Domini .Mo.C.LXII., cum Mediolanenses Frederico imperatori iterum rebellassent, dictus imperator, maximo exercitu congregato, Mediolanum per tres fere annos obsedit et fame ac bello sic eos atrivit, quod in misericordia imperatoris se totaliter posuerunt, civitatem et omnia mobilia et personas in sua potestate ponentes. imperator autem eis vitam pepercit et mobilia et immobilia eis restituit. civitatem tamen totam destruxit et in .IIIlor. burgos eam divisit et quemlibet burgum per duo miliaria a se ipsis distare fecit. de Ugone archiepiscopo secundo.[Page 345]

Ugo, archiepiscopus secundus, cepit anno Domini .Mo.C.LXIII.

et vixit in archiepiscopatu annis .XXV. iste prius fuit  
archidiaconus et postea in archiepiscopum est electus. iste  
fuit homo magne sapientie, et quandam magnam discordiam, de  
qua multa homicidia secuta fuerant, que erant inter Advocatos  
et illos de Castro, per suam sapientiam ad pacem reduxit. iste  
dedit capitulo Sancti Laurentij ecclesiam Sancti Marchi de Modulo[Page 346]

et ecclesiam Sancti Salvatoris de Sarzano. ad procuracionem  
istius archiepiscopi monasterium de insula Gallinaria suppositum[Page 347]

fuit archiepiscopo Ianuensi. huius etiam archiepiscopi tempore  
Clemens papa .IIIs. concessit, et post eum plures alij[Page 348]

summi pontifices concederunt, ut archiepiscopus Ianuensis habeat  
perpetuam legacionem ultramarinam, quando illuc de octavo in  
octavum annum accedere vellet cum aliquo cardinali vel episcopo.  
ita tamen quod habeat ibi plenam auctoritatem sicut cardinalis  
legatus haberet, et de hoc plura privilegia bullata in archiepiscopali  
palatio reservantur. huius etiam archiepiscopi tempore  
diffinitum fuit per iudices delegatos quod monasterium Sancti  
Bartholomei de Fossato obediat archiepiscopo in omnibus collacionibus  
Ianuensi ecclesie et in processionibus et consecrationibus  
abbatum sive episcoporum. ista omnia supradicta in archiepiscopali  
scrinio reservantur. anno quoque Domini .Mo.C.LXIII.  
Fredericus imperator Barisonum, iudicem Arboree, ad petitionem  
Ianuensium regem tocius insule Sardine fecit et ipsum,  
Pisanis contradicentibus, in regem apud Papiam coronavit. qui communi  
ianue fidelitatem iuravit et in signum fidelitatis omni anno  
communi Ianue libras centum et archiepiscopo unam libram[Page 349]

puri argenti dare promisit. anno vero Domini .Mo.C.LXV.  
Pisani, galeas .XXV. armantes, Albinganum iverunt et  
civitatem capientes destruxerunt et igne combusserunt. quod  
cum audissent, Ianuenses nimium doluerunt et infra .IIIIor.  
dies galeas .XLV. armantes, ad persequendum galeas Pisanorum  
iuverunt; sed ille altum mare petentes, aufugerunt. verumtamen  
seva tempestas eos invasit, ita quod galee. .XIII. cum omnibus hominibus  
perierunt. sequenti anno iudex Sardine de Kalari  
communi Ianue et archiepiscopo fidelitatem iuravit, et communi  
ianue annuatim libras centum, archiepiscopo vero unam libram optimi  
argenti dare promisit. tempore huius archiepiscopi, scilicet[Page 350]

anno Domini .Mo.C.LXVIII., Alexandria de novo in Lombardia  
construitur, que prius Cesarea dicebatur, sed postea, mutato nomine,  
in honorem Alexandri pape est vocata. dictus enim Alexander  
papa, in partibus illis tunc consistens, favorem dedit ut illa  
civitas edificaretur. unde cum primo in honorem imperatoris  
eam Cesaream appellassent, postmodum in honorem pape ipsam  
Alexandriam vocaverunt. dictus etiam Alexander episcopum[Page 351]

eis dedit, quo mortuo, episcopum non habuerunt postmodum;  
sed illa ecclesia subest episcopo Aquensi. quia vero Papienses[Page 352]

Romane Ecclesie erant rebelles, ideo dictus Alexander papa episcopum  
Papiensem pallij et crucis dignitate, quibus antea utebatur,  
sententialiter spoliavit. anno vero Domini .Mo.C.LXX.  
Pisani abstulerunt a Lucanis castrum Mutronis, sed auxilio Ianuensium  
ipsum sequenti anno recuperaverunt et ipsum a Pisanis multum  
destructum tam Lucani quam Ianuenses reedificaverunt.  
anno Domini .Mo.C.LXXII. Opizo Malaspina, qui erat vasallus  
archiepiscopi Ianuensis, et Murrel, filius suus, qui erat  
vasallus communis Ianue, congregaverunt circa .CCCL.  
milites et tria milia peditum, et burgum Clavari et portum Sigestri  
intraverunt. quod cum Ianue scitum fuisset, terra marique  
omnes unanimiter cucurrerunt. quod cum dictus marchio  
audivisset, fugere voluit; sed tamen vulneratus et mortuus fuit,  
et multi capti et detenti. reliqui vero fuge presidio evaserunt.[Page 353]

anno Domini .M.C.LXXVI., cum Mediolanenses, qui fuerant per  
burgos dispersi, ad civitatem suam redissent et fossatis et muris  
ac portis eam murassent, imperatori Frederico, qui eos disperserat,  
displicuit vehementer. ad hoc autem opus faciendum  
adiuverunt eos Brixenses, Cumani et multe alie civitates Lombardie.  
imperator quoque Grecorum Manuel multos yperperos  
et multa marmora eis misit. tunc imperator, magno exercitu

congregato, venit Lagnatum. Mediolanenses autem et  
Brixienses et Cumani contra eum pergentes, ipsum de campo  
turpiter eiecerunt. hoc etiam anno Pisani pacem factam cum  
Ianuensibus fregerunt. ipsi enim cum exercitu Sardineam  
ascendentes, omnes Ianuenses de toto iudicatu Kalari eiecerunt et  
bonis omnibus eos expoliaverunt, propter quod Ianuenses contra eos  
galeas .XX. armaverunt et multa incommoda Pisanis intulerunt.[Page 355]

castrum quoque Bonifacij, quod Pisani construxerant, ceperunt et  
ipsum funditus destruxerunt. tempore huius archiepiscopi, scilicet  
anno Domini .Mo.C.LXXVII., Fredericus imperator inter  
Ianuenses et Pisanos pacem fecit et medietatem tocius insule  
Sardine communis Ianue dedit. qui etiam imperator eum Beatrice  
uxore sua et Henrico filio suo Ianuam venit et ibi honorabiliter  
sunt recepti, anno scilicet Domini .Mo.C.LXXVIII.  
hijs temporibus filia regis Anglie, data in uxorem regi Sicilie,  
ianuam venit, que super galeas Ianuensem ad virum suum honorabiliter  
est deducta. postmodum venit Ianuam filia regis Francorum,  
filio Manuelis imperatoris Grecorum in coniugem copulata,  
que similiter [a] galeis Ianuensem ad virum suum honorabiliter  
deducta fuit. huius etiam archiepiscopi tempore,  
scilicet anno Domini .Mo.C.LXXIXo celebratum est a domino Alejandro  
papa tertio in ecclesia Lateranensi concilium generale  
ad quod concilium supradictus archiepiscopus Hugo accessit, quem  
associaverunt prepositus Sancti Laurentij, magister scolarum et  
nobiles viri Enricus Aurie, Nivellonus de Camilla, Ansaldus[Page 356]

Golia et Arduinus de Lavania, qui omnes plenam fidem  
et sufficientem probacionem [fecerunt] domino pape et cardinalibus  
qualiter reliquie sancti Iohannis Baptiste fuerunt de Mirrea  
ianuam deportate. propter quod papa statuit et approbavit  
quod in civitate Ianue corpus sancti Iohannis Baptiste habetur,  
mandans quod eius revelatio sollempniter celebretur. scripsit  
etiam per diversas provincias quod ad dictum festum omnes conveniant  
et venientibus indulgentiam magnam fecit. dictus etiam  
Alexander papa concessit magistro scolarum de Ianua et successoribus  
suis ut mitra in magnis sollempnitatibus possit  
uti. Albinganensem quoque episcopum Ianuensi archiepiscopo  
supposuit et suffraganeum suum fecit. istius etiam archiepiscopi  
tempore, scilicet anno Domini .Mo.C.LXXXVII. Crux sancta,  
que dicitur Crux hospitalis Sancti Lazari, Ianuam est delata.[Page 357]

eo quidem tempore Saladinus Ierusalem et totum regnum Syrie  
cepit, excepta civitate Tyri, regem quoque Guidonem, qui tunc  
ibi regnabat, et Guilielmum marchionem Montisferrati, iam  
senem, cum alijs multis baronibus in Damascum duxit captivos:  
veram etiam Crucem, que dicitur crux hospitalis Sancti Laçari  
cepit. quod cum audisset Conradus marchio Montisferrati,  
qui erat apud Constantinopolim, in quadam nave Ianuensem in  
Syriam ivit, ut civitatem Tyri defenderet. quam quidem civitatem  
dictus Conradus marchio, adiuvantibus Ianuensibus, potenter  
defendit, propter quod ipse Conradus marchio supradictam  
crucem, quam a Saladino predicto recuperaverat, communi  
ianue pro magno munere destinavit. de Bonifacio archiepiscopo  
tercio.

Bonifacius, archiepiscopus tercarius, cepit anno Domini  
.Mo.C.LXXXVIII. et vixit in archiepiscopatu annis .XV.[Page 358]

iste fuit primo archidiaconus et postea in archiepiscopum est electus.  
iste archiepiscopus primo anno sui archiepiscopatus,  
presente domino Petro Placentino, titulo Sancte Cecilie, presbitero  
cardinali apostolice sedis legato, elevari fecit corpus sancti Syri  
de subtilis altare sancti Laurentij et ipsum super altare in archa marmorea  
venerabiliter collocavit, ubi etiam ossa sancti Felicis et sancti  
Romuli in alia archa fuerunt inventa. tempore huius archiepiscopi,[Page 359]

scilicet anno Domini .Mo.C.LXXXIXo., imperator Fredericus,  
dum ad partes ultramarinas cum ingenti exercitu pro Terre sancte  
recuperatione per terram pergeret et in partibus Anthiochie consistens,  
fluvium Fari, satis parvum, transiret, de equo cecidit et  
ibi submersus fuit. anno quoque Domini .Mo.C.LXXXX.  
venerunt Ianuam Filipes, rex Francorum, et Richardus, rex  
Anglie, et dux Burgundie et in subcursum Terre sancte sunt profecti,

cum quibus naves octoginta Ianuensium, onuste peregrinis,  
de portu Ianue in Syriam perrexerunt. huius archiepiscopi[Page 360]

tempore, scilicet anno Domini .Mo.C.LXXXX., desierunt  
esse consules in civitate Ianue, pro eo quod omnes ad consulatum  
aspirabant et ex hoc multe invidie et odia in civitate crescebant, propter  
quod voluerunt cives regi pocius per potestates. et ideo  
quendam civem Brixensem, nomine Manegoldum, in potestatem  
Ianue primitus elegerunt. circa principium autem regiminis  
istius potestatis illi de Castro Lanfranchum Piperem  
maliciose occiderunt. propter quod dictus potestas, rubore et dolore  
perfusus, parlamentum maximum congregavit et armis militaribus  
indutus, equum valenter ascendit et ad domus malefactorum viriliter  
expugnandas accedens, potenter eas cepit et funditus destruxit.  
tempore istius archiepiscopi, scilicet anno Domini .Mo.C.LXXXIlo.,  
cum quidam, nomine Tancredus, fecisset se regem Sicilie, Ianuenses  
in servicium Henrici imperatoris galeas. .XXXIII. contra  
illum armaverunt. anno quoque sequenti et alio sequenti fuerunt  
in civitate Ianue multa bella civilia ita quod homicide et  
fures in civitate dominabantur. propter quod consules, qui regimen  
reassumpserant, ipsum regimen dimiserunt, ideoque electus  
est in potestatem Obertus de Olevano, nobilis civis Papiensis,  
qui per suam sapientiam et industriam omnes sediciones  
et scandala removit et omnes discordias ad pacem reduxit. hoc[Page 361]

anno Henricus imperator Ianuam venit, petens a Ianuensibus  
auxilium ut posset recuperare Sicilie regnum, multa et magna  
Ianuensibus promittens. Ianuenses igitur magnum stolum galearum  
in suum servicium armaverunt et ipsum viriliter adiuverunt.  
in quo stolo fuit admiratus supradictus Obertus potestas,  
qui tamen illo anno obiit. predictus igitur Henricus imperator  
confirmavit communi Ianue civitatem Siracusanam cum omnibus  
suis pertinencijs per privilegium aurea [bulla] munitum. castrum  
quoque Gavij eis confirmavit et podium Monachi eis dedit.[Page 362]

tempore quoque istius archiepiscopi, scilicet anno Domini .M.C.LXXXV.,  
vera Crux Christi, que sancta Christi antonomastice  
dicitur, Ianuam est delata. ipsam quidem sanctam Crucem  
patriarcha Ierosolimitanus semper in preliis deferebat et victoram  
obtinebat. accidit autem, peccatis exigentibus, quod Saladinus Ierusalem  
cum patriarcha et sancta Cruce cepit. tempore autem  
procedente, cum imperator Grecorum cum Saladino composuissest,  
remittebat dictus Saladinus ipsi imperatori Grecorum in  
quadam nave Crucem predictam. quedam autem galee Ianuensium  
et Pisanorum supradictam navem manu armata ceperunt.  
dum vero spolia dividerent, quidam Pisanus, nomine Fortis, Crucem  
illam latenter subripuit et in castro Bonifacij, quod olim Ianuenses  
destruxerant, sed Pisani reedificaverant, servandam reposuit.  
tres naves et quedam galee Ianuensium dictum  
castrum ceperunt. quod cernens dictus Fortis, de virtute sancte  
Crucis confidens, ipsam pectori suo apposuit et per medios hostes  
secure transiens, de castro exivit et in quadam silva se abscondit.  
sed tandem ad castrum rediit et ipsam Crucem communi Ianue dedit  
et civis Ianuensis effectus est. dicitur etiam quod dictus  
Fortis, supradictam Crucem accipiens et de eius virtute confidens,  
super mare tanquam super terram solidam ire cepit, et dum putaret  
se fugere et castro se elongare, nutu Dei, in castro subito  
se invenit, et sic Ianuenses Crucem illam accipientes Ianuam[Page 363]

transmiserunt. circa etiam hec tempora, scilicet anno Domini  
.Mo.C.LXXXVII., Drudus Marcellinus, civis Mediolanensis,  
potestas Ianue, turres altiores fecit deprimi et ad mensuram  
.LXXX. pedum redigi. tempore huius potestatis ordinatum  
fuit ut nobiles octo semper eligerentur, qui potestati assisterent,  
quod usque ad tempora capitaneorum observatum fuit, quamvis[Page 364]

alibi legatur quod dicti octo nobiles primo fuerunt electi sub domino  
Rambertino de Bovarello, cive Bononiensi et tunc potestate  
Ianue, anno scilicet Domini .Mo.CC.X.VIII. iste potestas, scilicet  
dominus Drudus, sequenti anno confirmatus fuit. et quia  
devetum erat ne aliqui in Siciliam irent, et quidam nobiles  
cum galeis suis illuc iverunt, ideo dictus potestas domos eorum  
destrui fecit. cum autem illi redissent, magna discordia inter ipsos  
et potestatem exorta est, ita quod ausi sunt nocte ad domum potestatis  
pontem erigere. quod cum potestas didicisset, statim

summo mane parlamentum convocavit et totum populum armari  
fecit. illi autem territi ad mandata potestatis redierunt. huius[Page 365]

archiepiscopi tempore, anno scilicet ultimo, commune Ianue  
emit castrum de Gavio a marchionibus, dans eis pro omnibus iuribus,  
que ibi habebant, libras tria milia et ducentas. ipsi enim marchiones  
facti sunt cives. de Octone archiepiscopo quarto.  
Octo, nacione Alexandrinus, archiepiscopus quartus,  
cepit anno Domini .Mo.CC.III. et vixit in archiepiscopatu annis  
.XXXVI. iste fuit prius episcopus Bobiensis, qui, dum fama et  
virtutibus polleret et reverenda canicie et maturitate  
preditus esset, ad archiepiscopalem cathedram est translatus.  
huius archiepiscopi anno secundo comes Frandensis et Bonifacius,  
marchio Montisferrati, cum duce Venetiarum Constantinopolim[Page 366]

obsederunt et tandem ipsam urbem ceperunt. dictus  
autem marchio imperatorem cum uxore et filiis ad Montemferratum  
misit, ubi in custodia reserventur. post capcionem  
autem civitatis Constantinopolitane sancta Crux, que dicitur  
Crux sancte Helene, fuit Ianuam deportata. dicitur autem Crux  
sancte Helene, quia, cum ipsa sancta Helena Crucem Domini reperisset,  
partem eius laminis argenteis et aureis et margaritis ornavit et  
Constantinopolim ad Constantinum, suum filium, deportavit.  
verum, cum Veneti Crucem illam cum multis alijs reliquijs Venecias  
transmitterent, contigit quod quidam civis Ianuensis, qui fuit  
de Fornarijs, nomine Dondedeus Bos, galeas duas contra  
Venetos armaverat, ex eo quod inter Ianuenses et Venetos tunc discordia  
erat. dictus igitur Dondedeus Bos navem illam cepit  
et sanctam illam Crucem cum ceteris reliquijs Ianuam deportavit.  
quam quidem Crucem communi Ianue et ecclesie Sancti  
Laurentij pro magno munere dedit. ceteras autem reliquias[Page 367]

sibi retinuit, sperans aliquo tempore ab aliquo principe pro ipsis se  
thesaurum non modicum habiturum. sed quia Deus noluit  
quod tanto thesauro Ianuensis civitas spoliaretur, ideo post multum  
temporis ad fratres Predicatores prediche reliquie, nobis procurantibus,  
devenerunt, que in ecclesia ipsorum fratrum cum multa  
reverencia reservantur. quas etiam nos fecimus in duabus tabulis  
cum laminis argenteis venerabiliter collocari. anno quoque  
Domini .M.CCV. electus est in potestatem Ianue nobilis vir dominus  
Fulco de Castro, qui fuit primus et ultimus potestas qui de gremio  
civitatis eligeretur. tempore istius archiepiscopi, mortuo Henrico  
imperatore, Octo, dux Saxonie, in imperatorem est electus  
et ab Innocencio tercio sollempniter coronatus, anno scilicet  
Domini .Mo.CCVIII. qui, cum iura Ecclesie se defensurum  
iurasset, totum contrarium postmodum fecit. insuper Campaniam  
intravit et inde Capuam, deinde Neapolim ivit, volens contra  
Ecclesie voluntatem regnum Apulie a Frederico, filio Henrici  
imperatoris, afferre. propter quod Innocentius .III. ipsum  
cum omnibus fautoribus suis excommunicavit et, crescente[Page 368]

eius contumacia, eum depositus et Fredericum, Henrici filium,  
eligi procuravit. Pisani vero in servicium dicti Octonis galeas  
.XL. armaverunt, quas usque Neapolim miserunt. Ianuenses  
vero, timore excommunicacionis, nullum sibi auxilium inpendere  
voluerunt. hoc etiam anno comes Alamannus, comes Henricus  
de Malta, nacione Ianuenses, cum navibus .XX. Ianuensium,  
que de ultramari veniebant et cum galeis quibusdam Siracusam  
iverunt et eam potenter obsederunt et triumphaliter ceperunt. dictus  
autem Alamanus factus est ibi comes et iuravit civitatem ipsam ad  
honorem communis Ianue tenere et singulis annis pallium unum  
super altare sancti Laurentij offerre. sequenti anno idem comes  
Henricus insulam Crete preliando cepit, postmodum Ianuam  
venit et auxilium postulavit. commune autem Ianue dedit  
sibi galeas .VIII. et naves tres cum omnibus armamentis et tria  
milia librarum et milites centum, et sic de Ianua gaudens recessit  
et multa prelia gessit. ipse enim Cretam preliando cepit,[Page 369]

ubi etiam Raynerium Dandal, ducem Venetiarum, cepit  
et ipsum carceri mancipavit. et quoniam dictus Fredericus  
metu Pisanorum, qui Octoni favebant, exire de Sicilia non  
audebat, Ianuenses ad preces Innocentij pape galeas armaverunt et  
ipsum Ianuam deduxerunt, ubi ad expensas communis per menses  
tres moram contraxit. et quoniam Pisani Ecclesie rebelles  
extiterant, ideo dictus Innocencius ipsos omnibus feudis, privilegijs

et dignitatibus spoliavit. archiepiscopum quoque Pisanum primatu, quem habebat in insula Sardine, sententialiter privavit. tempore istius Ottonis archiepiscopi celebratum[Page 370]

est sub Innocencio papa tertio concilium generale, anno scilicet Domini .Mo.CCXVI., ubi dicuntur interfuisse cum patriarchis, archiepiscopis et episcopis et alijs prelatis ultra mille trecentos. ad illud quoque concilium supradictus archiepiscopus Otto perrexit et rediens suum provinciale concilium celebravit, ubi illa, que fuerant ordinata, exposuit et ea servanda mandavit. tempore istius archiepiscopi duo ordines incepérunt, scilicet ordo Predicatorum et Minorum. ordinem Minorum confirmavit Innocencius.

ordinem vero Predicatorum confirmavit eius successor[Page 371]

Honorius, anno scilicet Domini .Mo.CCXVI., Innocencius quidem se confirmaturum promiserat, sed eodem anno, morte preventus, implere non potuit quod promisit. huius archiepiscopi tempore, scilicet anno Domini .Mo.CCXI., venit Ianuam quidam sagacissimus latro, qui, ignorantibus custodibus, in ecclesia Sancti Laurentij intra crates, ubi sunt reposite cruces Dominice, se abscondit. qui capsam, in qua dicte Cruces servabantur, cum verrinis perforavit et eas de civitate Ianue asportavit. cum autem hoc scitum fuit, magnus dolor cunctos invasit et magna tristitia omnes absorbuit. missis tamen nuncijs per loca diversa, predictus latro fuit captus et sic crucis recuperate fuerunt, gratias Deo agentibus universis, predictus vero latro ipsas crucis cuidam Alexandrino, nomine Nigro, tradiderat reservandas, quas commune Ianue ultra libras quingentas ab eo redemit.[Page 372]

anno Domini .Mo.CCXIII. Octo, marchio de Carreto, dedit libere communi Ianue castrum Cairi cum omnibus pertinencijs suis. commune autem Ianue illud sibi in feudum restituit et fidelitatem communi Ianue inde iuravit. sequenti vero anno Ianuenses edificaverunt castrum Monachi et muris et turribus firmissimis munierunt. anno Domini .Mo.CCXVIII. homines de Capriata dederunt se communi Ianue et Commune castrum illud accepit et munivit. anno Domini .Mo.CCXX. capta fuit Damiata, civitas Sarracenorum, ab exercitu Christianorum, ad quem exercitum Ianuenses galeas .X. miserunt. circa hec tempora, anno[Page 373]

Domini .Mo.CCXXI., orta est satis gravis controversia inter archiepiscopum et commune Ianue, quia commune videbatur in Sancto Romulo iura archiepiscopatus indebita usurpare, propter quod archiepiscopus terram interdixit et Papiam perrexit. sed postmodum papa episcopo Parmensi et abbatii de Tilioto causam commisit. qua diffinita, archiepiscopus ad sedem suam rediit et iura sua recuperavit. hoc anno Vintimilienses, qui communi Ianue rebellaverant, discalciati et cum funibus ad colla ad mercedem communis Ianue venerunt. anno Domini .Mo.CCXXII., de mense augusti, venit Ianuam quidam puer Theotonicus, nomine Nicolaus, in habitu peregrini, quem sequebatur multitudo maxima peregrinorum, tam magnorum quam parvorum, quam etiam infantium. et erat numerus eorum ultra septem milia et omnes habebant sclavinas crucibus insignitas et burdonos atque scarsellas, dicentes quod mare debebat apud Ianuam siccari et sic ipsi debebant in Ierusalem proficisci. multi autem inter eos erant filii nobilium, quos ipsi etiam cum nutricibus destinaverunt. placuit autem Ianuensibus ut de civitate recederent, tum quia credebant illos pocius duci levitate quam veritate, tum quia timebant ne caristiam in civitatem inducerent, tum quia propter tantam multitudinem timebant periculum civitatis, maxime quia imperator tunc Ecclesie rebellis erat et Ianuenses contra imperatorem Ecclesie adhreibant. post[Page 374]

modicum autem tempus totum illud negocium in nichilum est redactum, quia super nichilum erat fundatum. anno autem Domini .Mo.CCXXII., in die scilicet natalis Domini, fuit Ianue et in tota fere Ytalia tam vehemens terremotus, ut hedifia caderent et terra in multis partibus scinderetur, propter quod homines civitates deserebant et in campestribus habitabant. mortuo Honorio, successit Gregorius nonus, qui Librum Decretalium per fratrem Raymondum de ordine Predicatorum, cappellanum suum, utiliter compilavit.[Page 375]

beatum quoque Dominicum et beatum Franciscum et sanctam

Helycabeth supradictus Gregorius canonicavit. anno Domini .Mo.CCXXVII., cum Saonenses et Albinganenses communi lanue rebellassent, et Ianuenses contra eos magnum exercitum fecissent, venerunt tandem Albinganenses et Saonenses cum crucibus in manibus ad mandata Communis. huius archiepiscopi tempore, scilicet anno Domini .Mo.CCXXX., capti fuerunt .IIIILor. pirate, scilicet Recuperus de Portu Veneris, Guijelmus de Vintimilio, Durandus de Portu Venerij et Rubeus de Morinello, qui omnes fuerunt suspendio adiudicati per dominum Spinum potestatem Ianue. tanta autem multitudo, maxime dominarum ad plateam Sancti Laurentij convenit, que volebant dictos piratas liberare, quod duci ad patibulum non valebant.[Page 376]

quocirca dictus potestas, equum ascendens, cum huc et illuc discurreret, equus suus expavefactus super lapides iuxta hostium Sancti Laurentij eum portavit, et ibi cadens, crus et coxam sibi fregit, de quo dolore mortuus est. tandem illi .IIIILor pirate fuerunt suspensi; duo autem ex illis, scilicet Recuperus et Guijelmus, reliquiis sancti Iohannis Baptiste, que in ecclesia Sancti Laurentij reservantur, se recommendaverunt, qui, alijs duobus iam defunctis, mori per magnam horam non potuerunt, quousque nuncius ad civitatem venit et hec potestati, [qui], adhuc non obierat, et consilio nunciavit. cumque nuncius redisset, adhuc vivi sunt reperti. depositi, igitur, narraverunt qualiter beato Iohanni Baptiste se recommendaverunt, qui eos vivos conservavit, et sic libere et totaliter sunt dimissi. anno Domini .Mo.CC.XXXII., cum Ianuenses elegissent [in] potestatem dominum Paganum de Petra sancta, Mediolanensem, contra mandatum imperatoris, in tantum imperator turbatus est, quod omnes Ianuenses, qui erant in regno, capi fecit. insuper marescalco suo, qui erat in partibus ultramaris, mandavit ut Ianuenses omnes ibi caperentur. sed Ianuenses galeas decem et naves duas illuc miserunt et totum maris dominium habuerunt. imperator autem postmodum omnes, qui capti in regno fuerant, abire dimisit. anno Domini .Mo.CC.XXXVII.[Page 377]

Mediolanenses apud Curtam novam fuerunt per Fredericum secundum imperatorem debellati atque devicti, et multi nobiles in Apuliam in captivitate deducti, ubi etiam suum carroccium amiserunt sequenti anno Vintimilienses et Albinganenses et Saonenses communi Ianue rebellaverunt. Ianuenses autem, galeas .XIII. armantes, Vintimilium iverunt et in terram descendentes civitatem ceperunt. hoc [anno] imperator Fredericus misit Ianuam suos ambaxatores cum litteris, petens sacramentum fidelitatis et homagium. sed Ianuenses tale sacramentum facere penitus renuerunt et nuncios[Page 378]

imperatoris vacuos remiserunt. tempore quoque istius archiepiscopi, scilicet anno Domini .Mo.CCXXXIXo., fuit tanta eclipsis solis, ut nulla etas meminerit tam magnam et tam tenebrosam aliquo tempore extitisse. stelle enim in celo apparebant quemadmodum consueverunt nocte in sereno aere apparere. nos etiam, licet tunc annos pueriles ageremus, ipsas tamen stellas in celo radiantes conspeximus. isto eodem anno supradictus archiepiscopus Octo, reverende memorie et fame preclare, fuit similiter eclipsatus, quia lucem temporalem perdidit, sed lucem celestem invenit. de Iohanne archiepiscopo quinto. Iohannes de Cucurno, archiepiscopus quintus, cepit anno Domini .Mo.CCXXXIXo. et vixit in archiepiscopatu annis[Page 379]

duodecim. iste erat archidiaconus Ianuensis et unanimiter in archiepiscopum fuit electus. qui post suam electionem super galeam armatam cum duobus ambaxatoribus communis Ianue ad curiam est profectus ut munus consecrationis a summo pontifice optineret. qui tantam gratiam in conspectu pape et cardinalium reperit, quod propter honorem communis Ianue a Gregorio papa nono infra tres dies fuit totaliter expeditus. iste archiepiscopus fuit homo multum litteratus et maxime in arte medicine fuit valde peritus. tempore huius archiepiscopi, scilicet[Page 380]

anno Domini .Mo.CC.XLI., pars imperialis, que erat Ianue, que dicebatur Mascarati, de civitate recessit, et dominus Ansaldus de Mari factus est admiratus generalis Frederici imperatoris. supradictus autem papa Gregorius contra Fredericum imperatorem, Ecclesie persecutorem, concilium convocabat, et dum prelati Romam

super galeas Ianuensium ducerentur, supradictus Fredericus latenter  
in regno et Pisis armari fecit multitudinem galearum, et ipsos  
prelatos cepit et in carcere mancipavit. quod cum Ianuenses audivissent,  
infra paucos dies .XLVIII. galeas potenter armaverunt  
et ad inimicos inquirendos et persequendos vivaciter  
profecti fuerunt. deinde dictus Fredericus Romanos peccunia  
sic corrupit, quod ipsi papam de Urbe volebant expellere[Page 381]

et imperatorem introducere. quod cernens papa capita Apostolorum  
in gremio cepit et nudis pedibus cum cardinalibus ea ad  
ecclesiam Sancti Petri apostoli deportavit et illuc populum Romanum  
convocavit. ibique capita Apostolorum nuda populo cum  
lacrimis multis ostendens, in tantum eos verbis ferventibus animavit,  
quod fere omnes contra imperatorem cruce signati fuerunt.  
cumque imperator circa Romam cum exercitu consisteret et se in  
brevi intraturum esse speraret, audiens tantam populi  
mutationem, inde recessit. post capcionem autem supradictorum  
prelatorum galee imperatoris et Pisanorum sepe in Riperiam  
ianuensem veniebant et plures molestias inferebant. propter quod  
ianuenses galeas .LXXXVI. potenter armantes, omnes illas  
galeas taliter fugaverunt, quod ultra accedere non presumpserunt.  
huius archiepiscopi tempore, scilicet anno Domini .Mo.CCXLIII.  
electus est in papam dominus Sigembaldus de comitibus Lavanie  
et Innocentius quartus appellatus. verum cum a dicto  
Frederico et eius militibus apud Sutrium nimium artaretur,[Page 382]

Ianuenses galeas .XXII. armaverunt et ipsum Ianuam cum  
gaudio deduxerunt, anno scilicet Domini .Mo.CCXLIII. qui  
postmodum Lugdunum per terram perrexit et ibi supradictum  
Fredericum ab imperio depositum. iste Innocencius prius  
ordinavit ut cardinales pileos rubeos deferant. isto eodem  
anno quo predictus papa Innocencius Ianuam venit, ordinem  
Predicatorum, inspirante gratia Salvatoris, intravi, ubi a  
nostra adolescencia usque ad etatem senilem fui enutritus et  
maternis uberibus educatus. supradictus autem Fredericus  
civitatem Parmensem tam potenter obsedit, anno scilicet Domini[Page 383]

.M°.CCXLVIII., quod quandam civitatem iuxtam illam edificavit,  
quam Victoriam appellavit. Ianuenses autem in adiutorium  
Parmensium multos balistarios destinaverunt. tandem dictus Fredericus  
inde turpiter fuit expulsus et thesauris omnibus spoliatus.  
milites enim Parmenses et Placentini et Mediolanenses et balistarij  
ianuensem, qui in civitate Parmensi convenerunt, in Victoriam  
insultum fecerunt, ita quod imperator cum toto suo exercitu  
fugit et Cremona se recepit. ibi autem invente fuerunt corone  
imperiales et thesauri magni et preciosi, de quibus multi fuerunt  
valde ditati. civitas autem, quam fecerat et Victoriam vocaverat,  
fuit totaliter dissipata. imperator autem in Apuliam[Page 384]

vadens, miserabili morte vitam finivit. eodem anno  
dominus Lodovicus, rex Francorum, ad partes ultramarinas transfretavit  
super naves et galeas Ianuensem, habens in suo exercitu  
duos nobiles Ianuenses admiratos, scilicet dominum Hugonem  
Lercarium et dominum Iacobum de Levanto. quamvis  
igitur Damiatam cepissent, fuit tamen postmodum dictus rex a  
Sarracenis captus et multi de Christianis capti et vulnerati.  
propter quod regina et ceteri Christiani, qui remanserant, Damiatam  
restituerunt et regem recuperaverunt. anno Domini  
.Mo.CCXLIX. rex Encius, filius imperatoris, a Bononiensibus[Page 385]

fuit captus et carceri mancipatus, ubi per multos annos  
permanens, vitam ibi finivit. anno Domini .Mo.CCLI. Saonenses,  
qui rebellaverant, ad mandata Communis venerunt,  
et Ianuenses, qui dicebantur Mascarati, restituti fuerunt et  
dominus Innocencius papa .IIII. de Lugduno rediens, Ianuam  
est reversus et cum multa gloria susceptus. qui per Lombardiam  
transiens, ecclesiam Beati Dominici de Bononia consecravit.  
deinde in Apuliam est profectus et ibidem defunctus. de  
Gualterio archiepiscopo sexto.  
Gualterius de Vezano, archiepiscopus sextus, cepit  
anno Domini .Mo.CCLIII. et vixit in archiepiscopatu annis[Page 386]

.XXI. et post mortem suam vacavit archiepiscopatus annis duobus.  
fuit factus archiepiscopus per dominum Innocencium  
papam IIII. cui multa erat familiaritate coniunctus. nam, cum

esset prius archidiaconus Lunensis, fecit eum predictus papa  
in Anchonitana marchia marchionem et postmodum de archiepiscopatu  
Ilanuensi providit eidem. iste fuit homo magne honestatis,  
pietatis et gratie. et licet esset nobilis genere, maiorem tamen  
nobilitatem moribus preferebat. fuit eciam in iure peritus et  
[in] omni bonitate et virtute conspicuus. tante etiam fame in  
Romana curia fuit, quod aliquando, vacante sede Apostolica,[Page 387]

magnus tractatus inter cardinales est habitus ut in summum pontificem  
eligeretur. anno Domini .Mo.CCLVI. marchio de Calari  
communi Ianue misit ut galeas mitterent et castrum  
Kalari armarent, quia communi Ianue ipsum dare volebat.  
misse sunt igitur galee .VI. et navis una cum multis bellatoribus  
et balestarijs et ipsum castrum munierunt. et quoniam Pisani ipsum  
castrum Kalari molestabant, ideo Ianuenses galeas .XXIII.  
armaverunt et galeas .VIII. Pisanorum, que ibi erant, ceperunt.  
eodem anno Ianuenses galeas .LXXXIII. armaverunt et  
multos milites habuerunt et castrum Ylicis obsidentes, ipsum  
ceperunt. eodem etiam anno galee Ianuensium ceperunt naves  
.VI. Pisanorum. huius archiepiscopi tempore, scilicet anno  
Domini .Mo.CCLVII., Guillermus Bocanigra factus est capitaneus  
populi Ianuensis et tenuit capitaniam per annos .V.[Page 388]

anno autem secundo sue capitanie naves [.IIIIor.] et galeas  
.XL. contra Venetos et Pisanos armavit et in Achon  
eas transmisit, in quibus dominus Rubeus de la Turcha  
fuit admiratus. sed quoniam improvide fuerunt annate, quia  
gente lombardica erant replete, ideo quod improvide fuit factum,  
improvidum habuit exitum, quia galee .XXVI. Ianuensium  
ibi fuerunt amisse. tandem post longam discordiam  
compromiserunt partes in dominum Alexandrum papam .IIIIm.,  
qui inter eos treugam indixit. sed durante treuga Veneti et  
Pisani turrem nobilissimam atque pulcherrimam, quam Ianuenses  
in Achon edificaverant, funditus destruxerunt. iste  
archiepiscopus a sede Apostolica impetravit quod nullus clericus  
Ianuensis diocesis, maxime tempore guerre, de districtu Ianue,  
obtenu aliquarum literarum, pro aliqua causa extrahi possit, et[Page 389]

super hoc privilegium in archiepiscopali palacio reservatur.  
tempore huius archiepiscopi, scilicet anno Domini .Mo.CCLXI.,  
per totam Ytaliam fere est facta verberacio generalis.  
nam magni et parvi, nobiles et ignobiles, depositis vestibus, nudi a  
cingulo supra, per civitates et villas et castella processionaliter  
se verberantes ibant, Virginem gloriosam et ceteros sanctos cantilenis  
angelicis implorantes. horum quidam nobiles et populares  
de Terdona Ianuam venerunt. et cum se per civitatem  
verberantes incederent, tanquam fatui et deliri deridebantur a  
cunctis. subito autem, nutu Dei, tota civitas est commota,  
ita quod magni et parvi, nobiles et ignobiles, die ac nocte,  
de ecclesia ad ecclesiam se verberantes incederent et canciones  
celestes et angelicas decantarent. et qui fuerant principaliores  
in deridendo, fuerunt postmodum priores in se iugiter  
verberando. multe quoque inimicicie et guerre nove et  
antique in civitate Ianue et in tota fere Ytalia ad pacem et  
concordiam fuerunt reducte. ista tanta devocio a quibusdam[Page 390]

pauperibus et simplicibus in Tuscia fuit inventa et per totam Ytaliam  
difusa et tam a pueris quam a magnis, tam a nobilibus  
quam ab ignobilibus observata. ibant igitur in societate bini et  
bini se verberantes, precedentibus religiosis et clericis cum crucibus  
et vexillis. multi quoque, qui homicidia commiserant,  
cum gladijs denudatis ad hostes ibant et in eorum manibus gladios  
nudos inponebant, ut de ipsis vindictam acciperent sicut vellent.  
sed illi gladios in terram prociebant et se inimicorum pedibus  
prosternebant, flentibus et lacrimantibus cunctis qui adhreibant  
pro devocione et cordis exultatione. aliqui quoque verberabant  
se cum corrigijs ad hoc factis, aliqui cum spinis, aliqui  
cum manicis ferreis. et quod fuit mirabile, quamvis ipsa talis  
verberacio in media yeme fieret et homines, nudi a cingulo supra,  
a mane usque ad horam terciam pergerent, non est tamen  
inventum quod aliquis frigori fuerit affectus. sed, si prima  
[die] se allacriter verberaverat, sequenti die se allacrius et  
fortius verberabat. nec mirum si frigus exterius non sentiebant,  
quia vehemens ardor amoris, qui intus ardebat in mente, omne  
frigus exterius arcebatur a corpore. huius etiam archiepiscopi

tempore, anno Domini .M.CCLXIII., stella commeta splendens  
apparuit trahens post se caudam maximam et ignitam,  
surgens a plaga aquilonari et [pergens] ad plagam orientalem.  
incipit autem apparere prima die mensis augusti et per quadraginta  
fere dies continue surgens apparuit. istam cometam[Page 391]

sepe conspeximus et mirabamur quidnam Deus per tam insolitum et  
inauditum portentum vellet innuere et an per ipsum vellet  
grande aliquod futurum significare. in ipso autem anno datum  
est ab Ecclesia Carulo, comiti Provincie, regnum Sicilie et Apulie.  
qui, Romam vadens, coronam accepit, et intrans Apuliam,  
Manfredum, natum quondam Frederici imperatoris, qui se regem  
fecerat et Ecclesie rebellaverat, in omnibus superavit. per processum  
autem temporis [Conradinus], nepos quondam Frederici  
imperatoris, adiuvantibus Pisanis et fere omnibus Gibelinis, cum  
magno exercitu venit Pisas volens Apuliam violenter intrare  
et de manu Caroli regnum auferre. cum vero omnes timerent,  
dominus Clemens papa, dum apud Viterbum in ecclesia fratrum  
Predicorum in festo Pentecostes sollempniter celebraret et  
predicaret, et ego cum essem tunc prior provincialis fratrum[Page 392]

Predicorum Lombardie, ibidem occasione nostri capituli Generalis  
presens essem, dixit publice coram nobis: "Ne timeatis,  
quia scimus quod iste iuvenis a malis hominibus, sicut ovis, ducitur  
ad mortem. et tali sciencia hoc scimus, qualis post articulos  
fidei maior non est. quod quidem verbum in admirationem nos  
adduxit maximam. sed quod illud verbum fuerit spiritu prolatum,  
patuit per effectum. dum enim dictus Conradinus  
Apuliam intrasset, fuit a rege Carolo cum toto suo exercitu  
superatus et omnino contritus, et dictus Conradinus sententia  
capitali punitus. anno Domini .Mo.CC.LXVIII. Ianuenses armaverunt  
galeas .XXVII., ut irent in Achon contra Venetos et  
Pisanos, in quibus Lanfranchus Borborinus fuit constitutus  
admiratus. Veneti autem habebant galeas .XXIIII. erat  
autem predictus Borborinus corde pavidus et in rebus bellicis[Page 393]

inexpertus, et ideo magna improvidencia fuit talem facere  
admiratum; ducem enim exercitus oportet esse corde magnanimem,  
animo providum, corpore et corde robustum. ille igitur, galeis  
visis Venetorum apud Trapenam, mox fuit corde confractus  
et viribus resolutus, et ideo super quandam vachetam ascendens,  
aufugit et exercitum dereliquit. et sic fugato duce, galee fuerunt  
disperse et capte. et quamvis imposita sibi fuerit prodicio,  
nos tamen magis credimus in ipso fuisse cordis vilitatem quam aliquam  
prodicionem. istud autem cum Ianue scitum fuit,  
sine mora galeas .XXV. armaverunt, in quibus dominum Obertum  
Aurie admiratum constituerunt. ille igitur, hostes ubicumque  
perquirens, tandem quandam civitatem Venetorum, que[Page 394]

est in [insula] Crete, nomine Terram novam, bellando cepit,  
et totam ferro, igne et sanguine devastavit, et [homines], quos  
ibi cepit, Ianuam captivos deduxit. huius archiepiscopi tempore,  
scilicet anno Domini .Mo.CCLXX., facti sunt capitanei populi  
Ianue nobiles viri dominus Obertus Spinula et dominus  
Obertus Aurie, et per annos .XXII. capitaniam et regimen  
tenuerunt. excepto quod dominus Obertus Aurie contra  
voluntatem populi Ianue in anno .XV. resignavit, sed loco sui  
dominus Conradus, eius filius, institutus fuit, qui per annos  
septem officium capitanie gessit. post hec autem supradictus  
dominus Gualterius, Deo amabilis et hominibus graciosus,  
plenus dierum, virtutum et bonorum operum ac bona  
senectute confectus, beato fine quiete. cuius fama odorifera  
remansit in mundo et anima beata regnat in celo. de Bernardo  
archiepiscopo septimo[Page 395]

Bernardus, natione Parmensis, archiepiscopus septimus,  
cepit anno Domini .Mo.CCLXXVI. et vixit in archiepiscopatu  
annis decem, et post [eius] mortem vacavit archiepiscopatus  
annis duobus. hic primo fuit Narbonensis archidiaconus, deinde  
in marchia Anchonitana fuit marchio constitutus. tandem per  
dominum Innocentium papam quintum fuit in ecclesia Ianuensi[Page 396]

in archiepiscopalem honorem promotus. huius archiepiscopi  
tempore, scilicet anno Domini .Mo.CCLXXXVIII., Pisani contra  
Ianuenses armaverunt galeas .LXXII., non credentes quod Ianuenses

tot armare possent. transierunt igitur per mare Ianuense,  
volentes Riperiam devastare, sed tamen non fuerunt ausi ad terram  
alicubi descendere nec aliquod dampnum inferre. at Ianuenses,  
cum hoc cognovissent, galeas .LXXXVI. viriliter armaverunt  
et ad hostes persequendos et inveniendos tam alacriter quam potenter[Page 397]

profecti sunt. cumque galeas Pisanorum super portum  
invenissent Pisanum, audacter eas invadunt, ita quod galeas  
.XXXIII. ceperunt, quibusdam earum in mare demersis, quibusdam  
vero turpiter effugatis. et sic cum multo triumpho ad sua  
propria redierunt. ab illo tempore Ianuenses Pisanos sic contriverunt  
et domuerunt, quod usque nunc galeas super portum  
eorum tenent, que ligna aliqua illuc intrare prohibent. iste archiepiscopus  
fuit in iure canonico multum peritus et in omnibus  
operibus suis valde sollicitus et discretus. circa res quoque  
archiepiscopatus promovendas fuit multum assiduus et intentus.  
nam apud Ianuam palacium archiepiscopatus multum melioravit,  
apud Mulazanam palacium magnum et pulcrum construxit,  
apud Sanctum Romulum palacium nobile per dominum Gualterium[Page 398]

inceptum ampliavit et melioravit et multa alia opera utilia  
fecit. hic a domino Gerardo, Sabinensi episcopo, qui sibi  
attinebat, ad Romanam curiam fuit vocatus, et dum sperarū  
etur  
quod deberet fieri cardinalis et per civitatem Parmensem transiret,  
sensit se ibi graviter infirmari, ideoque, itinere illo dimisso,  
Ianuam non sine magno corporis dispendio est reversus, mallens  
in civitate illa mori, ubi fuerat spiritualis pater effectus, quam in  
illa ubi fuerat carnaliter generatus. cum igitur Ianuam advenisset,  
invallescente morbo, per mortem mundi de medio est  
sublatus et honorabiliter tumulatus. circa hec tempora electi  
fuerunt successive tres cardinales in summos pontifices, quorum  
vita brevis extitit et infra dies paucissimos finita fuit. primus fuit  
Innocencius quintus, de ordine Predicotorum, qui sedit mensibus  
quinque. iste fuit homo valde famosus et in theologia valde  
summus, qui eciam rexit Parisiis in theologia annis multis.  
iste specialem amorem ad civitatem Ianue habuit et pacem inter  
regem Carolum et civitatem ipsam fecit. alius, Adrianus[Page 399]

de comitibus Lavanie, qui sedit mense uno et diebus paucis. iste,  
licet esset magne sapientie et experientie, tamen propter brevitatem  
temporis nichil insigne vel notabile facere potuit. gaudentibus  
autem de sua sublimacione parentibus et amicis, dixit eis: "Quare  
gaudetis? melius erat vobis habere unum cardinalem vivum,  
quam papam mortuum". post modicum vero temporis infirmitatem  
incurrit et in pace quievit. ailius, Iohannes, nacione  
Yspanus, qui sedit mensibus octo. cum enim quandam domum  
edificari faceret, subito, domo cadente, cum ea cecidit  
et sic vitam finivit. de cuius morte modicum Ecclesie dampnum  
fuit, quia, licet scientia physicali et naturali multum esset repletus,[Page 400]

tamen discrecione et sensu naturali multum erat vacuus.  
de Opizone patriarcha Anthiocheno.  
Opizo de Flisco, de comitibus Lavanie, cepit regere ecclesiam  
Ianuensem anno Domini .Mo.CCLXXXVIII. et rexit  
eam annis tribus et dimidio. iste fuit nepos domini Innocencij  
pape .IIITi. et domini Adriani pape. est autem magni honoris  
grande preconium quod infra spacum .XXXVI. annorum,  
vel circa, de domo sua duo supradicti summi pontifices prodierunt.  
plures etiam cardinales de eadem domo similiter extiterunt.  
supradictus igitur dominus Innocencius predictum dominum[Page 401]

Opizonom patriarcham Anthiochenum fecit, quem  
patriarchatum multo tempore tenuit et rexit et in maxima dignitate  
et culmine ibi fuit. tandem, peccatis exigentibus, Anthiochena  
civitas, tam nobilis et famosa, a Sarracenis fuit capta et omnia  
bona patriarchatus occupata atque vastata. et ideo oportuit  
dictum patriarcham ad partes citra marinas redire. Ecclesia  
igitur Romana sibi compatiens et ei providere volens, dedit sibi[Page 402]

in cura ecclesiam Tranensem. post multos autem annos commisit  
sibi in cura, tam in temporalibus quam in spiritualibus,  
ecclesiam Ianuensem. post hec autem commune  
Ianue ad dominum Nicolaum papam .IIITum. sollempnes ambaxatores  
pro quibusdam negocijs communis Ianue destinavit.

supradicti autem ambaxatores a summo pontifice humiliter  
postularunt ut, more solito, eis archiepiscopum concedere  
dignaretur. summus igitur pontifex, peticioni ipsorum condescendere  
volens, supradicto patriarche sufficienter et honorabiliter  
providit, et civitati lanue archiepiscopum concessit.  
de fratre Iacobo archiepiscopo octavo.[Page 403]

Frater Iacobus de Varagine de ordine Predicatorum, archiepiscopus  
octavus, cepit anno Domini .Mo.CCoLXXXII. et  
vivet quantum Deo placebit. iste per dominum Nicolaum  
papam quartum, qui fuit de ordine fratrum Minorum, archiepiscopus  
est creatus, qui quidem papa ipsum per suas literas ad suam  
presentiam vocaverat ut sibi munus consecrationis impenderet et  
pallium sibi daret. sed cum ille Romam in dominica de  
Ratis palmarum intrasset, reperit ipsum summum pontificem  
gravi et periculosa egritudine laborantem, ita quod in Parasceve  
animam Deo reddidit et, sicut credimus, in celeste palacium[Page 404]

introivit. collegium autem venerabile cardinalium infra octavas  
Pasche, consistorium faciens, ordinavit ut propter honorem  
communis lanue archiepiscopus suus debeat in brevi totaliter  
expediri. propter quod in octava Pasche per venerabilem  
patrem dominum Latinum, episcopum Ostiensem, fuit  
consecratus et in ipsa ebdomada palliatus, et sic ad civitatem  
suam cum gudio est reversus et a populo reverenter exceptus.  
hic, dum adhuc esset in ordine suo et postquam in archiepiscopatu,  
opera plura fecit. nam Legendas Sanctorum  
in uno volumine compilavit, multa adiciens in eisdem de  
Ystoria Ecclesiastica, de Ystoria Tripartita  
et de Ystoria Scolastica et de Cronicis  
diversorum auctorum. istud opus post prologum  
sic incipit: "Adventus Domini et cetera". fecit etiam  
duo volumina Sermonum de omnibus sanctis, quorum  
festivitates per anni circulum ab Ecclesia celebrantur. unum volumen  
est multum diffusum, aliud est magis breve et angustum.  
utrumque volumen sic incipit: "Vestigia eius secutus est pes  
meus". fecit etiam Sermones de omnibus Evangelii  
dominalibus, que per anni circulum in[Page 405]

ecclesia leguntur, de quolibet Evangelio faciens tres sermones  
ad honorem individue Trinitatis. istud opus post prologum  
sic incipit: "Preparare in occursum Dei tui, Israel". fecit  
etiam Sermones de omnibus Evangelij, que in  
singulis feriis in Quadragesima leguntur, scilicet in quarta  
feria Cinerum usque ad tertiam feriam post Pasca, de quolibet  
Evangelio faciens duos sermones. istud opus sic incipit:  
"Filia populi mei, induere cilicio et cetera". fecit etiam librum,  
qui dicitur Marialis, qui totus est de beata Maria compositus et  
secundum ordinem litterarum alphabeti distinctus. iste liber  
post prologum incipit: "Abstinencia multiplex". presentem  
insuper Cronicam compilavit. hic secundo  
anno sui pontificatus, scilicet anno Domini .Mo.CCLXXXIII.,  
in ecclesia Sancti Laurentij provinciale concilium celebravit, ubi  
interfuerunt episcopus Albinganensis, episcopus Bruniacensis,  
episcopus Naulensis, episcopus Maranensis, episcopus Nebiensis.  
episcopus autem Bobiensis se excusavit infirmitate et senectute  
gravatus; suum tamen procuratorem et sindicum destinavit. episcopatus  
vero Aciensis tunc vacabat. interfuerunt etiam abbates[Page 406]

mitrati quam plures, scilicet abbas Sancti Syri, abbas Sancti  
Stephani, abbas Sancti Fructuosi, abbas de Tyno. abbas  
de Brosono et abbas de insula Gallinaria se excusaverunt  
infirmitate et senectute gravati; suos tamen procuratores et sindicos  
destinaverunt. interfuerunt etiam prepositi et archipresbiteri  
et ecclesiarum ministri in multitudine copiosa. in ipso autem  
concilio multa utilia fuerunt statuta et multe constituciones  
edite, que usque hodie observantur. ceterum, quia inter aliquos  
dubitacio videbatur oriri si corpus sancti Syri esset in archa  
marmorea, que est super altare sancti Laurentij collocata,  
voluimus super hoc scire plenariam veritatem. quocirca, presente[Page 407]

concilio et presentibus potestate, capitaneo, abbate  
populi et multis aliis nobilibus civitatis lanue, archam illam fecimus  
aperiri, ubi invenimus archam ligneam inclusam et diligenter  
firmatam. quam aperientes, ibi invenimus laminam plumbeam

et tabulam marmoream et cedulam in piscide quadam repositam.  
et utrobique erat litteris exaratum quod in illa capsula ossa sancti  
Syri erant reposita. nos etiam illam capsam super altare sancti  
Laurentij deduci fecimus et ibi nostris manibus inquirentes, omnia  
ossa invenimus, que ad compositionem corporis humani requiruntur.  
insuper, post paucos dies, adveniente eiusdem[Page 408]

sancti Syri festivitate, ipsam capsam cum ossibus super magnum  
pulpitum ecclesie Sancti Laurentij deportari fecimus et ibi epitaphia  
et ossa populo ostendimus evidenter, que ab omnibus fuerunt  
cum maxima devocione visa et suppliciter adorata. ordinavimus  
autem ut caput sancti Syri in secrestia servetur et ibi thecis  
argenteis includatur. temporibus quoque nostris, scilicet anno  
Domini .Mo.CCLXXXI., fuit quidam heremita de partibus Abrucij,  
nomine frater Petrus de Morono, qui per quadraginta  
annos heremiticam vitam duxit, et erat homo magne abstinentie  
[et] sanctitatis fame. cum igitur sedes Apostolica per annos  
duos et amplius iam vacasset, et cardinales concordare non  
possent, quodam die, dum pro quodam alio magno negocio  
essent insimul congregati, istius fratris Petri heremite fama  
venit in medium. tunc unus ex cardinalibus tale verbum dicitur  
protulisse: "Quare non facimus istum heremitam papam?". statimque  
in ipsum vota omnia sunt unita, et ipsum unanimiter  
elegerunt et Celestimum vocaverunt. iste per unam diem,  
dum Aquilam pergeret in exemplum humilitatis, scilicet postquam[Page 409]

fuit summus pontifex creatus, asinum equitavit. deinde  
de Aquila vadens Neapolim, noluit uti palafredo, sed humili  
asello. iste papa primo anno sue creationis duodecim  
cardinales fecit de plenitudine potestatis. postmodum fecit alium  
cardinalem, tempore et modo debito non servato, de plenitudine  
simplicitatis, scilicet archiepiscopum Beneventanum; quem fecit  
presbiterum cardinalem non in temporibus institutis nec de  
consilio cardinalium, sed [ad] suggestionem aliquorum.  
dabat etiam dignitates, prelaturas, odicia et beneficia, in quibus non  
sequebatur curie consuetudinem, sed pocius quorundam sugestionem  
et suam rudem simplicitatem. multa quoque alia faciebat[Page 410]

in quibus non sequebatur precedencium patrum vestigia nec eorum  
statuta. et quamvis non ex malicia, sed pocius ex quadam  
simplicitate ista ageret, tamen in magnum Ecclesie preiudicium  
redundabant. quocirca ipse, videns suam insufficienciam et inexperientiam,  
salubri ductus consilio, constitutionem fecit quod,  
si aliquis papa insufficiens inveniretur, possit papatu libere resignare.  
quo facto, cum papatum per sex menses vel circa tenuisset,  
in festo sancte Lucie libere resignavit et habitum heremiticum  
reassumens, ad suam solitudinem est reversus. post  
cuius resignationem, scilicet in vigilia nativitatis Domini, dominus  
Benedictus de Agnania, vir utique magne scientie et experientie,  
in summum pontificem est electus et Bonifacius .VIII.  
nominatus. qualiter autem isto anno galee .XVIII. et[Page 411]

duo ligna quorundam mercatorum de lanua debellaverunt galeas  
.XXVIII. et .IIIlor. ligna Venetorum, dictum est supra, in parte  
.Va., capitulo .IIIlo. anno Domini .Mo.CC.LXXXV., de  
mense ianuarij, facta est pax generalis et universalis in civitate lanue  
inter illos qui dicebantur Mascarati, sive Gibelini, et illos qui dicebantur  
Rampini, sive Guelfi. inter quos quidem fuerant longo  
tempore grandes animositates, multe divisiones [et periculose  
dissensiones]. que quidem dissensiones, divisiones et parcialitates  
per annos .LV. et amplius duraverunt. sed, faciente  
gratia Salvatoris, omnes ad pacem et concordiam sunt reducti, ita  
quod facta est inter eos una societas, una fraternitas, unum  
corpus. de quo tanta leticia est secuta, quod tota civitas fuit plena  
iubilo, plena tripudio, plena gaudio immenso. nos quoque in  
pubblico parlamento, in quo pax fuit iurata, pontificalibus induiti,  
proposuimus verbum Dei et ibidem cum clero nostro *Te Deum*  
laudamus *cantavimus alta voce, habentes nobiscum .IIIlor. mitratos*,  
inter episcopos et abbates. sumpto vero prandio, tota milicia[Page 412]

nos sequente, pontificalibus induiti, super palafredum sindone  
coopertum per totam civitatem nostram leti et gaudentes equitavimus,  
Dei benedictionem et nostram omnibus largiendo, et Deo  
gratias referendo. in signum quoque leticie de tam nobili et  
inclita pace, commune lanue nobilem virum dominum Iacobum de

Carcano, civem Mediolanensem, tunc potestatem Ianue, militem accinctum fecit et ipsum multis honoribus et muneribus cumulavit. sed quoniam in presenti vita nulla bona sunt pura, quia pura bona sunt in celo, pura mala sunt in inferno, bona vero et mala sunt mixta in hoc mundo, ideo - proh dolor! - cithara nostra cito versa est in luctum et organum nostrum in vocem flencium est mutatum. eodem siquidem anno, de mense decembris, quinta scilicet die post natalem Domini, civibus nostris supradicta pace gaudentibus, pacis emulus, humani generis inimicus, in tantam discordiam et turbationem cives nostros commovit, ut per vicos et plateas manu armata configerent et diebus multis ad invicem hostiliter dimicarent. ex quo secute sunt neces hominum, vulnerationes multorum, domorum incendia, rerum expoliatio et rapina. et quoniam furor hostilis frenum non recipit rationis, in tantum processit vesana turbacio, quod quidam, ut turrem Sancti Laurentij habere possent, ausi sunt in ecclesia ipsius Sancti Laurentij ignem apponere et eius tectum totaliter concremare. duravit autem tam periculosa sedicio a [Page 413]

quinta die post natalem Domini usque ad diem septimum februarij. tandem creati sunt duo capitanei, scilicet dominus Conradus Spinula et dominus Conradus Aurie, et sic civitas a prelijs conquevit, et capitaneus, qui de foris eligebatur, fuit deinceps intermissus. de stolo autem gloriose et magnifico, quem Ianuenses anno Domini .Mo.CCLXXXV. contra Venetos armaverunt, dictum est supra, in parte quinta capitulo tertio.  
sequenti vero anno Veneti stolum galearum armaverunt, et Romaniam. pergentes, quandam terram Ianuensem, nomine Peyram, que erat iuxta Constantinopolim, omnino immunitam, necnon etiam quandam terram dominorum Benedicti et Emanuelis de Zachariis, nomine Fogiam, destruxerunt. anno quoque Domini .Mo.CCLXXXVII. Veneti armaverunt galeas .LXV., Ianuenses vero galeas .LXXV. veruntamen galeas Venetorum [Page 414]

minime invenire potuerunt. et cum galee Ianuensium falso audissent quod galee Venetorum Venecias redivissent, ipsi quoque cum suis galeis Ianuam sunt reversi. quod cum audissent galee Venetorum, que latuerant, in Siciliam sunt profecte et plures naves Ianuensem, que ibi erant, ceperunt et ignibus combusserunt; de quo fuit Ianue turbatio valde magna. eodem anno supradictus dominus Bonifacius papa, propter quosdam graves excessus, fecit contra illos de Columpna, tam clericos quam laycos, quosdam graves processus et duos cardinales de ipsis de Columpna cardinalatibus spoliavit. ipsi vero se in quibusdam civitatibus recluserunt, Ecclesie rebellantes; sed exercitus Ecclesie duas de ipsis civitatibus cepit, ita quod illi in civitate Penestrina, que dicitur esse fortissima, se receperunt.

---

[Home](#)

*Iacobus de Varagine. Date: 2004-06-13*